# CONSTITUTIONES
# DIOECESANÆ SYNODI

AB ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO

## RAYMUNDO MORALES

BENEDICTINAE VIRGINIANORUM CONGREGATIONIS

ABBATE GENERALI

EIUSQUE DIOECESIS, NULLIUS, ORDINARIO, ET DOMINO,
ANNO MDCCCXXIX. DIE X. MENSIS MARTII CELEBRATÆ






NEAPOLI, MDCCCXXIX
EXCUDEBANT R. MAROTTA ET VANSPANDOCH

*Conveniamus ad disponenda ea, quæ curæ nostræ commissa sunt, ut si quæ graviora sunt, communi consilio dirigantur.*

S. CYPRIANUS.

# EDICTUM

CONVOCATIONIS

## DIŒCESANÆ SYNODI

---

### RAYMUNDUS MORALES

BENEDICTINAE VIRGINIANORUM CONGREGATIONIS,
DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

ABBAS GENERALIS

SANCTÆQUE REGIÆ ECCLESIÆ MONTIS VIRGINIS, IPSIUSQUE NULLIUS DIŒCESEOS
ORDINARIUS, ET DOMINUS

I. *Nihil ardentius efflagitavimus, quam ut Dei Optimi Maximi Cultus, Ecclesiarumque decus magis in dies efflorescerent: quae bona sunt, fieri meliora, et quae non optima ad summam perfectionem redigi desideravimus: quae infirma, et diminuta, pristinae sanitati, atque integritati reddi exoptavimus. Quae quominus prius efficeremus, variis, ac multis obstaculis praepediti fuimus, a quibus quum primum respirare coepimus, ad id potissimum adjecimus animum, ut quoad fieri posset, muneris nostri partes expleremus. Nobis igitur cordi est, et pro virili satagimus, ut in hac nostra Dioecesi servetur ordo, et vigeat disciplina: ut super prava opera cen-*

*surà Ecclesiastica imperet: ut floreant Vineae Domini honestate, et sanctitate sacerdotum: ut flores fructus parturiant: ut Divina mandata, et instituta omni sollicitudine serventur: ne quid in agro Domini aut neglectu, incultum, aut fraude subreptum inveniatur. Nullam industriam praetermittimus, ut ea, quae plantavit dextera Altissimi non convellantur: ut clerus, et populus nobis commissi recte vivant: ut delicta puniantur; impunitas enim ausum parit, ausus excessum. Ægre patimur, ut in clericorum vultu, habitu, et incessu aliquid resideat impudicum, et indecens; quin ipsi a divinis ad humana deflectant: ut aliquid praeposterum, et indignum exerceant. Omnem solertiam adhibemus, ne quid inter eos sibi usurpet carnis petulantia, ne libere se exerat sensus corporeus, et intricatus caliget oculus spiritualis: ne clerus, et populus nobis concrediti aliquid praetermittant ad prudenter, et solerter investigandum quae de Deo, et pro Deo scrutanda, et ponderanda sunt. Forti animo conamur, ut omnes adhaereant veritati, et notitiae veritatis, ut coelestia caute, et vigilanter investigent; ut omnes vivant mente puri, religione pii, castimonia integri, unanimitate conjuncti, pace securi. Quae quidem omnia Encyclicis literis clero frequenter in domino inculcavimus, tam ut ante habitarum dioecesis synodorum sanctiones rigide adimplerentur, quam ut novae synodi defectui quodammodo suppleremus. Nihil enim Pa-*

*stori turpius existimamus, quam desidiam fovere, omnia sciscitari de singulis, moveri ad quaelibet perdita, vel neglecta, de minimis, et quadrantibus rationem exigere; magnam de minimis, parvam, aut nullam de maximis, idest de lucro animarum, curam gerere. Nos Apostolatu nostro nihil dignius censemus, nihil salubrius ad conscientiam, nihil honestius ad famam, nihil utilius ad exemplum, quam Animas Christi Sanguine redemptas Pastorali sollicitudine nostra ad aeternam patriam dirigere.*

II. *Quamobrem ut tritum a caeteris Praelatis iniremus iter, ac sacrosancti Tridentini Concilii vestigiis, et Ordinationibus, nostrisque Constitutionibus insisteremus, Dioecesanam Synodum, quam Encyclicis antedictis jam despondimus, indicendam, celebrandamque defiximus, ac decrevimus pro Divinae gloriae amplificatione, pro nostrorum subditorum in spiritualibus salute, proque nostri officii ratione.*

III. *Cum autem Major Insignita Terrae Mercuriani Ecclesia sub titulo Sancti Petri, ubi de mor- Dioecesana Synodus celebratur, ob loci asperitatem, rigente jam hieme, haud apposita videatur; omniumque comoditati prospicere cupientes, Synodum ipsam praesenti nostro Edicto in Ecclesia Sancto Modestino dicata praecipuo ejusdem Terrae Patrono, convocamus, et inchoari statuimus die decima mensis martiis MDCCCXXIX.*

IV. *Nihil est quod hic de Synodorum utilitate*

*sermonem instituamus; nam ex hujusmodi Sacris Comitiis Ecclesiae disciplinam solidari, mores corrigi, prava emendari, errores, si qui irrepserunt, profligari, nemo est, qui dubitet. Ad colligendos autem ex hujus Dioecesanae nostrae Synodi celebratione uberrimos, quos Nobis, annuente Domino, sperare licet fructus, necesse est, ut ab Eo, qui Pater est luminum, auxilium fidenter expetamus. Praecipimus ideo singulis nostrae Dioecesis Parochis, ut per mensem ante Synodi celebrationem qualibet Feria quinta Missam de Spiritu Sancto in suis faciant Ecclesiis. Jubemus itidem iisdem Parochis, aliisque curam Animarum gerentibus, ut die Dominico infra Domini Epiphaniae octavam Synodi celebrationem populo annuntient, et de salutari hoc opere fideles admonendo, omnes in Domino hortentur, ut singulis Dominicis diebus, praesertimque illo Synodi diem antecedente Sanctissimis Poenitentiae, et Eucharistiae Sacramentis refecti, praecipuas Deo fundant preces, ut ad populi salutem, et Ecclesiae bonum sancte, recteque omnia in Synodo peragantur.*

V. *In virtute ergo Sanctae Obedientiae, et sub aliis poenis infligi solitis praecipimus, ac mandamus admodum Reverendo Clero Insignito praedictae Majoris Ecclesiae Terrae Mercuriani, Archipresbytero, et Canonicis Collegiatae Ecclesiae Hospetaleti, omnibusque Archipresbyteris, Parochis, Beneficiatisque etiam sine cura, ac universis, et singulis nostrae*

*Dioecesis Ecclesiasticis, qui vel de jure, vel de consuetudine huic nostrae Synodo interesse debent, ut supradicto jam die summo mane in praefata Ecclesia conveniant, Synodo adsint, et intersint, nec ab ea, nisi fuerit absoluta, discedant. Volumus insuper, et mandamus, ut haec Synodi indictio affixa sit valvis nostrae Cathedralis Ecclesiae ( Nullius ) Montis Virginis, omnibusque Ecclesiis Archipresbyteralibus, et Parochialibus, ut universos afficiat ac si fuisset singulis intimata.*

*Datum ex hac nostra abbatiali residentia Laureti Montis virginis die 1 mensis Januarii MDCCCXXIX.*

*Raymundus Morales.*

## CAPUT I.

### DE SYNODI INCHOATIONE.

In nomine Sanctissimæ, et Individuæ Trinitatis, Patris, Filii, et Spiritus Sancti, Beatissimæ Mariæ semper Virginis, Sanctorum Patrum Nostrorum Benedicti, et Gulielmi, Sancti Martyris Modestini Patroni, omniumque Sanctorum.

I. Nullus dies, dilectissimi consacerdotes, et fratres, jucundior hoc nobis apparuit, in quo clerum Pastorali Nostræ sollicitudini commissum recognoscentes, vos omnes paterna caritate simul complecti, salutaribus monitis instruere, et quæ pro recta totius Diœcesis procuratione decernenda sunt, vestrorum consilio, nobis statuere, et sancire, Deo Auctore, conceditur. Exoptatus hic dies, qui jugiter menti nostræ occurrebat, in maximis angustiis, quas Nostri Ministerii cura, atque temporum iniquitates afferebant, animum nostrum longe etiam consolabatur. Prodiit tandem, et quod vehementer expetivimus, de Animarum scilicet salute communibus curis concredita, atque de Vobismetipsis vos alloqui, nunc Divina miseratione datum est. Quamvis enim Nostram Diœcesim Sancta Visitatione quotannis perlustrare sategimus, et quæ expedire videbantur, frequentibus etiam Encyclicis, typis quidem editis, decernere curavimus; nunquam tamen synodi utilitatem assequi potuimus, omnes nempe Ecclesiasticos simul visitare, et quæ ad Animarum salutem, et Ecclesiæ bonum convenire perspiciuntur, vobiscum conferre; ut tremendi Nostri Ministerii partes, pro viribus Nostris explentes, iram Domini effugere valeremus.

II. Contremiscimus equidem, Fratres carissimi, quum munus nostrum recogitantes, Divina nobis occurrunt eloquia.

Ait namque Deus in Numeris: Excubate in custodia Sanctuarii, et in ministerio altaris, ne oriatur indignatio super filios Israel. Et Christus amantissimus Pastor Praelatis, et Episcopis inquit: Vigilate super gregem meum. Ut vero Divino præcepto morem gerere valeant Prælati, oportet ( ut Leonis PP. XII. verbis utamur ) illos assidue vigilare, *non modo ne sibi concrediti greges spiritualium bestiarum patiantur incursus*; *sed greges ipsos coelestis doctrinæ pabulo nutrire*, *monitis quidem*, *legibusque salutaribus*, *et exemplo potissimum* (1). Nos ideo non latet metuendum illud judicium, in quo Ipse Redemptor Christus de animabus suo sanguine expiatis, nostræque fidei commissis, strictissimam a nobis rationem rogaturus est. Quapropter Episcopatus a Sacro Tridentino Concilio onus etiam Angelicis humeris formidandum recte appellatur, et Divus Augustinus nihil esse in hac vita laboriosius, et periculosius Episcopi officio profitetur (2).

III. Quum autem ( ut jam innuimus ) Pastoralis vigilantiæ præcipuum sit munus, Ecclesiasticam disciplinam graviter tueri, abusus, si qui irrepserunt, præcidere, bonos mores solidare, pravos, aut labefactatos corrigere; quumque omnibus perspectum sit, quod legibus, et statutis humana coerceatur audacia, et noxius appetitus ad juris tramitem reducatur; orta inde est Synodorum origo, qua nihil utilius in Ecclesia, ideoque a Tridentinis Patribus optime consultum fuit, ut præter particulares Ecclesiarum Visitationes, quotannis etiam Diœcesanæ Synodi celebrentur, in quibus statuantur ea, quæ pro communi totius Diœcesis bono statuenda videri possint, et caveatur, ne

(1) De Jubilæi extensione Epist. Encycl. VIII. Kal. Januar. Anno MDCCCXXV.

(2) Ad Valerianum.

quae bene constituta sunt, temerentur. Inde quoque est, ut ex nostri Virginiani Ordinis Constitutionibus, Apostolica auctoritate firmatis, proprium Abbati Generali tribuatur officium, *Synodum juxta morem congregare* (1). « Nam (ut disserunt Concilii Provincialis Coloniensis Patres) in Synodis redintegratur » unitas, studetur corpori in sua integritate conservando, ubi » ea, quæ in visitatione non dabatur exequi, executionem stu» diis communibus assequuntur; ubi de capite, et membris, de » fide, et pietate, de religione, et cultu divino, de moribus, et » disciplina, de obedientia, de judiciis, et rebus omnibus ad bene, » christianeque vivendum commodis, vel necessariis tractatur, at» que statuitur, ut verissime in reformationis formula dicatur: » Salus Ecclesiæ, terror hostium ejus, et fidei Catholicæ stabi» limentum sunt Synodi, quas etiam rectissime Corporis Ecclesiæ » nervos dixerimus. Neglectis enim Synodis, non aliter Ecclesiasti» cus ordo diffluit, quam si Corpus humanum nervis solvatur (2).

IV. His quidem inhærentes, vos, carissimi, congregavimus, et debitum nobis commissi officii exequentes, ac saluti, et periculis animarum subditorum nostrorum, et nostræ prospicere cupientes, ne sanguis eorum de manibus nostris a supremo Judice requiratur, vestro quoque in omnibus jam adhibito consilio, quæ sequuntur statuta confecimus, et unicuique, ad quem spectant exequenda proponimus. Etsi autem ex his pleraque a Prædecessoribus nostris in Diœcesanis Synodis salubriter sancita fuerant; illa tamen excitare, iterumque, pro rerum gravitate inculcare, nobis visum est, ut illorum observantiæ omnes ferventiori studio vacare conentur.

V. Pergite igitur, Venerabiles consacerdotes, et fratres,

(1) Declaratio super Cap. LXIV. Regulæ S. Patris Benedicti.

(2) Acta anni 1549, tit. de Synodorum celebratione Cap. 1, Tom. 9.

et hujusmodi Sanctionum executioni fideliter intendite, moresque vestros ad earum exemplar componite, ut vestrarum animarum, et vobis concreditæ plebis saluti recte consulatis, quemadmodum paterno affectu vos in Domino hortamur.

Demum, ut nostram venerationem, et obedientiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ patefaciamus, quæ est omnium Ecclesiarum Mater, et Magistra, easdem Constitutiones ipsius S. Ecclesiæ censuræ subjectas esse profitemur.

## CAPUT II.

### DE HUJUS SYNODI OFFICIALIUM ELECTIONE.

VI. Ut servato ordine, et debito more in hac Synodo procedatur, sequentes Officiales, atque Ministros in eadem eligendos, deputandosque esse statuimus, et decernimus. Videlicet:

Admodum R. Dominum Angelum Vecchiariello Promotorem Fiscalem.

Admodum R. P. Dominum Thomam de Fraja Secretarium.

Admodum R. D. Modestinum Vecchiariello Cæremoniarum Magistrum.

## CAPUT III.

### DE FIDEI PROFESSIONE.

VII. Ad Synodalia statuta accedentes, a fundamento Christianæ Religionis exordiri oportet. Fidei igitur professionem, juxta formam a Pio PP. IV. scite promulgatam, quam nuper huic Synodo intervenientes Sacerdotes Nobiscum emiserunt, ab omnibus nostræ Diœcesis Ecclesiasticis nunc a Synodo absenti-

bus, et dignitates, vel beneficia obtinentibus, itidemque a confessariis, sacris concionatoribus, et a privatis, publicisque scientiarum, humaniorumque litterarum Professoribus, infra mensis spatium a Synodi impressione, et publicatione, in manibus nostris pariter emitti volumus, atque mandamus, ea omnia renovantes, quæ in aliis Diœcesanis Synodis, præsertimque in illa a nostro Prædecessore Urbano de Martino anno habita MDCXLVII. salubriter de hac re statuta sunt (1).

VIII. Cum clandestinæ perniciosissimæ societates sacrosancta Ecclesiæ dogmata, populorumque tranquillitatem, et pacem, suis iniquis deliramentis evertere conentur, nihilque tam fidei officiat puritati, quam delitentia hujusmodi conventicula, a quibus quot, quantaque mala in Dei Ecclesiam, atque in Civile imperium derivare possint, in nuperrimis hujus Regni vicibus miserrime experti sumus; præcipimus omnes Apostolicas sanctiones, præsertimque Sacram Pii PP. VII. Constitutionem, cujus initium *Ecclesiam*, sub datum Romæ Idibus septembris MDCCCXXI., aliamque a Leone PP. XII. promulgatam III. Idus Martii MDCCCXXV., quæ incipit *Quo graviora*, a quibus omnes occultæ hujusmodi societates damnantur, et Ecclesiastico anathematis telo configuntur; nec non Regias Sanctiones, et Decreta, ea sollicitudine a cunctis observari, et tueri, quam tanti momenti res expostulare perspicitur, ut nefaria sectatorum vestigia penitus deleantur. Parochi ideo, Confessarii, sacrique Concionatores, ea perpendendo, quæ nostris frequentibus, appositisque Encyclicis continentur ad laudatas Apostolicas, Regiasque Sanctiones exequendas, nobis adlaborare non cessent (2).

IX. Sectatoribus adnectendi sunt improbatos libros detinen-

(1) Pag. 1 ad 5, num. I, II, III.

(2) Videsis peculiariter *Enciclica del dì 1 aprile 1826*, et aliam *del dì 8 agosto 1828*.

tes, aut legentes. Quis enim negare poterit virus, quod ab ipsis libris manare conquerimur, in animos inexpertorum late serpens, eorum mores corrumpere, atque labefactare ad Ecclesiæ, Civilisque societatis exitium? Quamobrem ad normam Sacrorum Canonum, Regaliumque Decretorum (1), cunctos improbatæ lectionis libros interdicentes, eaque renovantes, quæ nostris Pastoralibus litteris jam disposuimus (2), Parochos, aliosque curam animarum gerentes, spiritus Congregationibus Præfectos, sacrosque Concionatores enixe in Domino hortamur, ut in hujusmodi libros clamare non desinant, ut illud confirmari possit, quod Divus Paulus ait: « Multi eorum, qui fuerant curiosa se» ctati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus (3) ».

X. Tamquam fidei suspecti habendi sunt blasphemi, et perjuri. Cum enim quisque maximam Deo debeat dilectionem, et laudem, impiorum, et infidelium nota inurenda est illis, qui in ipsum Deum os suum ponere, aut Eum in testimonium mendacii vocare, aut Sanctos ejus, præsertimque Beatissimam Virginem, maledictis, et conviciis insectari ausint. Curent igitur animarum Rectores blasphemiæ, et perjurii gravitatem populo diligenter exponere, utque omnes a nefario hoc scelere abhorreant, pœnas etiam declarare, ut alibi admonuimus (4), quibus ab Ecclesiasticis (5), Civilibusque Sanctionibus (6) blasphemi plectuntur.

XI. Ut autem omnes sciant quæ necessaria sunt ad salutem, juxta Sacrosancti Tridentini Concilii præceptum, iidem

(1) *Decreti de' 7 maggio, e 2 giugno 1821.*

(2) *Encicl. del 1 aprile 1826.*

(3) Ad Hephes. Act. Apost. Cap. 19, v. 19.

(4) *Pastorale del dì 8 giugno 1827.*

(5) Vid. Constitut. Pii V. Kal. apr. 1566, cujus initium *Cum primum.*

(6) *Decreti Reali de' 7 maggio 1821, e 5 maggio 1827.*

animarum Rectores sedulo curent, fidei rudimenta pueros, aliosque salutari hac ope indigentes, solito more, edocere. Ut vero una eademque docendi regula habeatur, metodo tantummodo Doctrinæ Christianæ utantur a clarissimo Cardinali Bellarmino edita, ut in Synodo Prædecessoris nostri Galli Gallucci præscriptum comperitur (1).

## CAPUT VI.

### DE SACRAMENTIS IN GENERE.

XII. Quum Sacramenta sint a Christo Domino instituta, ut omnis per ea incipiat justificatio, aut incepta augeatur, aut amissa reparetur, animarum Rectores vim, ac potestatem eorum clare, et frequenter populo ostendant, ut omni animi pietate, et devotione suscipiantur.

XIII. Sacerdotes autem vehementer hortamur, ut ad Sacramenta administranda ea puritate, et munditie accedant, quæ Ministros Christi, et Mysteriorum Dei Dispensatores decet, ne Domini provocent ultionem: nec alio utantur ritu, quam illo, qui a Rituali, et Catechismo Romano præscribitur.

XIV. Sacramentalia maximo nitore, et diligentia custodiantur, de quo Parochi, aliique, ad quos spectat, sciant quod Sanctæ Visitationis tempore strictam nobis rationem reddituri sint.

---

(1) Pag. 6, §. III.

## CAPUT V.

### DE BAPTISMO.

XV. « Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, » non potest introire in Regnum Dei (1) ». Parochi igitur hujus Sacramenti necessitatem expendentes, quod prima post naufragium tabula, et Sacramentorum princeps merito nuncupatur, solliciti sint ad illud infantibus ministrandum quanto citius fieri poterit, non ultra tamen triduum ab eorum nativitate, uti statutum est in laudata Synodo Galli Gallucci, et sub pœnis ibi comminatis (2).

XVI. Baptizandis autem non nisi nomina Sanctorum imponantur, juxta laudabilem Ecclesiæ ritum a Diœcesanis nostris Synodis valde commendatum, et præscriptum (3).

XVII. Sacramentum hoc in Ecclesia administretur. At si urgeat mortis periculum, domi etiam conferri potest, quod autem nullatenus fiat, nisi de nostri licentia.

XVIII. Infantium curæ, et vitæ prospicientes, parentibus, et nutricibus mandamus, ad suffocationis periculum avertendum, ne eos, antequam annum compleverint, in suis lectis dormientes tenere præsumant, juxta casum nobis reservatum, ut videri est in casuum reservatorum serie typis edita, et unicuique Confessariorum sedi affixa. In contravenientes Ecclesiasticis censuris animadvertemus.

---

(1) Joan. III. 5.

(2) Pag. 9.

(3) Vid. Synod. Urbani de Martino pag. 9.

## CAPUT VI.

### DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO.

XIX. Ut qui per Baptismum Religionis Christianæ vestibulum, et vitæ æternæ januam ingressi sunt, ad pugnam pro Christi fide subeundam, valide sint parati, spiritualibus armis in Confirmationis Sacramento instruuntur. Ideo Divus Ambrosius confirmatos alloquens « repete ( ait ) quia recepisti signaculum spiritale » spiritum sapientiæ, et intellectus, spiritum consilii, et virtutis, » spiritum cognitionis, et pietatis, spiritum sancti timoris, et » serva quod accepisti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te » Christus Dominus, et dedit signum spiritus in corde tuo (1).

XX. Cum autem ad percipiendos uberiores hujus sacramenti fructus apta suscipientium requiratur dispositio, singulis animarum Rectoribus præcipimus, ut illius vim, et effectus, nec non suscipientium qualitates, patrinorum munus, et spirituale affinitatis vinculum populo frequenter exponant. Item Dominico die illum præcedente, in quo hoc Sacramentum administraturi sumus, appositas publicent instructiones, quæ in appendice laudatæ Synodi Prædecessoris Nostri Galli Gallucci referuntur, et a nobis nunc speciatim approbantur, et renovantur, nec ulli dent schedulam, de qua ibi fit mentio, nisi tam confirmandum, quam patrinum opportunis dispositionibus, et qualitatibus præditos esse noverint.

XXI. Catechismo Concilii Tridentini jussu S. Pii V. edito inhærentes, statuimus hoc Sacramentum non ministrari, nisi iis, qui ad septimum suæ ætatis annum pervenerint. Non de-

(1) Act. Eccl. Mediol. Par. 4.

negabimus autem ante septennium pueris, qui tali morbo laborent, ut morituri prævideantur (1).

XXII. Clericis Regularibus patrinorum munus omnino interdicimus. Sæculares autem Clerici illud suscipere non audeant, nisi de expressa nostri licentia. Non prohibemus tamen, si confirmandi iis vincti sint consanguinitatis fœdere usque ad tertium gradum inclusive; quod etiam de Baptismo dictum, et statutum volumus.

## CAPUT VII.

### DE SS. EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

XXIII. Tanta, tamque admirabilis fuit Salvatoris nostri erga nos dilectio, ut seipsum sanctitatis auctorem, et fontem sub panis, et vini speciebus, nobis ad vescendum traderet. Verbis itaque utentes Sacrosancti Tridentini Concilii paterno affectu admonemus, hortamur, rogamus, et obsecramus per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes, et singuli nostræ Diœcesis fideles hæc sacra Mysteria Corporis, et Sanguinis ejus, ea fidei constantia, et firmitate, ea animi devotione, ea pietate, et cultu credant, et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint (2).

XXIV. Parochi, aliique animarum Rectores hujus Sacramenti dignitatem, et præstantiam omni studio populo exponere teneantur, ut piissime ad illud omnes accedant, unde tot manant salubres divini amoris effectus. Memorare tamen illud Apostoli non desinant: « Probet seipsum homo, et sic de pane illo » edat, et de Calice bibat. Qui enim manducat, et bibit in-

(1) Vid. Benedict. XIV. de Synod. Diœces.

(2) Trident. Sess. 13 de Eucharist. Cap. 8.

» digne, judicium sibi manducat, et bibit, non dijudicans » Corpus Domini (1) ».

XXV. Admoneant iterum omnes suis curis commissos, præsertimque mulieres, ne hoc Sacramentum suscipere præsumant, nisi decenter compositæ fuerint, et absque vanis ornatibus, qui Christianam modestiam dedecent.

XXVI. Solliciti sint insuper de SS. Viatico iis statim porrigendo, quos vita periclitari cognoverint; nam si ex eorum negligentia evenerit, ut aliquis sine sanctissima hac ope decesserit, gravissimis pœnis a nobis punientur.

XXVII. In Concionibus suis, quas quadragesimali potissimum tempore habere teneantur, fideles admonere curent de Paschalis præcepti satisfactione, atque de censuris, quibus non satisfacientes innodantur, qui, juxta Lateranensis Concilii Sanctiones (2), viventes ab Ecclesiæ ingressu arcendi sunt, et morientes Ecclesiastica sepultura privantur. Maximi autem momenti est, nomina eorum, qui non satisfecerint, nobis innotescere, ut opportunis remediis ad rectam semitam eos evocare possimus, et qui fuerunt stulti in culpa, sint sapientes in pœna.

XXVIII. Præcipimus ideo singulis Parochis, ut infra dies quindecim post tempus Paschalis præcepti, tam librum, quem ad normam Ritualis Romani habere tenentur, et in quo Sanctissimam Eucharistiam suscipientes adnotantur, quam distinctum non suscipientium elenchum nobis diligenter exhibeant (3).

---

(1) I. Ad Corinth. II.

(2) Conc. Later. IV. Can. Omnis utriusque sexus.

(3) Vide *Pastorale de' 17 luglio 1828.*

## CAPUT VIII.

### DE POENITENTIÆ SACRAMENTO, UBI DE CONFESSARIIS.

XXIX. Ut justificationem in Baptismo acceptam post illum lapsi reparare valerent, Pœnitentiæ Sacramentum institutum est, quod ideo a sacrosancto Tridentino Concilio secunda post naufragium tabula appellatur. Sciant igitur singuli animarum Rectores sui muneris esse, illius potestatem, et effectus populo frequenter declarare, atque ea exponere, quæ ad illud salubriter suscipiendum requiruntur, ut omnes scite instructi, et dispositi ad illud accedere, et amissam justificationem reparare mereantur.

XXX. Curent præsertim, ut pueri cum ad rationis usum pervenerint, statim ad hoc Sacramentum suscipiendum instruantur: de quo munere adimplendo parentes etiam, aliosque, quibus eorum cura commissa est, sollicitos esse volumus, sub pœnis nostro arbitrio infligendis.

XXXI. Quum casuum reservatio utiliter instituta sit ad graviora facinora compescenda, casus nobis jam reservatos, quos in calce hujus Synodi edi curabimus, diligenter, et assidue Confessarii præ oculis habeant, et animarum Rectores populo explicare non praetermittant, ut omnes ab illis flagitiis abhorrere curent. Nullus autem confessarius ab iisdem casibus, sine expressa nostri facultate, absolvere præsumat, excepto mortis articulo.

XXXII. Confessarii omnes salutare hoc Sacramentum administraturi, caveant, ne absolutionem impertiantur iis, qui rectam dispositionem non habeant, aut fidei rudimenta, et vim, atque effectus Sacramenti ignorent.

XXXIII. In memoriam revocare non desinant, quæ in Ri-

tuali Romano jussu Pauli V. edito præscribuntur (1), ut audita pœnitentis sacramentali confessione, ejusque peccatis diligenter expensis, opportunas correptiones, ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna caritate ( confessarius ) adhibeat, et ad dolorem, et contritionem efficacibus verbis adducere conetur. Cæterum pœnitentes suos admonere non cessent confessarii, ne se putent securos in sacramenti pœnitentiæ perceptione, si præter fidei, et spei actus, non incipiant diligere Deum tamquam justitiæ fontem, ut loquitur sacrosancta Synodus Tridentina.

XXXIV. Nec illa praetereant ejusdem Ritualis salutaria monita : « Videat diligenter sacerdos, quando, et quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, nec absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces, quales sunt; qui nulla dant signa doloris, qui odia, et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt, aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant.

XXXV. Ut insuper confessarii munus suum recte exequi possint, illa S. Raymundi de Pennafort sedulo expendant : « Cognitis peccatis ( ait ) adsit confessarius benevolus, paratus erigere, et secum onus portare, habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate, adjuvet confitentem orando, eleemosynas, et cætera bona pro eo faciendo, semper eum juvet leniendo, consolando, spem promittendo, et cum opus fuerit, etiam increpando.

XXXVI. Mulierum confessiones ( ut in litteris parentalibus exprimitur ) ante auroram, aut post solis occasum excipere non

(1) Tit. 18.

aude[illegible] nisi in confessionali sede, ferreis cratibus, aut [illegible] intermediis. Infirmarum autem mulierum confessiones non excipiant, nisi patentibus januis, ita ut videri, non vero audiri possint.

XXXVII. Meminerint, nullum confessarium, jurisdictionem, aut potestatem habere complices absolvendi in peccato turpi, nec quæ in apostolica Constitutione Gregorii PP. XV. die data XXX. mensis augusti MDCXXII. in confessarios sollicitantes, et in personas sollicitatas non denuntiantes præscripta sunt, recogitare omittant.

XXXVIII. Ut autem pœnitentiæ Sacramentum omni decentia, et dignitate administretur, non præsumant confessarii confessiones excipere, nisi superpelliceo, stola violacea, ac bireto, ad Romani Ritualis præscriptum, induti sint. Regulares vero proprium habitum religiosum, et violaceam stolam induant.

XXXIX. Alia, quæ ad rite, sancteque hoc sacramentum administrandum pertinent, in præcedentibus Diœcesanis Synodis, nostrisque encyclicis abunde cauta, et sancita sunt, eisque confessarios adhærere mandamus.

XL. Hic autem, pro rei gravitate, memorare oportet, quod quamvis non dubitetur, quin possint confessarii pœnitentibus injungere eleemosynarum erogationem et missarum sacrificia in satisfactionem suorum peccatorum; ad avertendam tamen omnem aviditatis suspicionem nequeant ipsi confessarii sibi onus suscipere eleemosynas distribuendi, aut stipem pro missis celebrandis accipere, ut vel ipsi eas celebrent, vel in propria ecclesia celebrare faciant; sed omnia pœnitentium curæ relinquere debeant, ut rigide præscribimus.

## CAPUT IX.

### DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

XLI. Ad reliquias peccatorum remittendas, ad gratiam conferendam, ut morbi labores patienter ferri possint, ad bene moriendi dispositionem habendam, ad sanitatem recuperandam, si animæ prosit, extremæ unctionis sacramentum institutum est. Suum igitur faciant Parochi, illud omni studio, et cura infirmis vita periclitantibus administrari, ne sanctissima hac ope, ex eorum negligentia ipsos privari contingat.

XLII. Quum autem ad uberiores hujus sacramenti effectus percipieudos aliquis pius requiratur suscipientis actus, expediens est illud administrari antequam infirmus mente, et sensibus carere incipiat. « Constat enim ( ait Catechismus Concilii Tridentini ) ad uberiorem sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, si ægrotus, cum in eo adhuc integra mens, et ratio viget, fidemque, et religiosam animi voluntatem afferre potest, sacro oleo liniatur (1) ». Parochi igitur, aliique animarum rectores paternis verbis infirmos hortentur, ut sacram unctionem exposcant statim ac vitæ periculum sentiant, ut sacramenti efficaciam expendere possint, et animi devotionem, ac voluntatem afferre valeant.

XLIII. Non negabitur tamen iis, qui cum sensibus, et ratione jam sint destituti, sacramenti desiderium significare nequeant; nam præsumendum est illud, si potuissent, petituros, ut ait sanctus Carolus Borromæus : « Infirmis, qui sana mente

(1) SS. 18 de extr. unct.

» dum erant, illud petierunt, aut verisimile est quod petiissent, » etiamsi postea in amentiam inciderint, vel ratione, sermoneve » uti desierint, ministrabitur item (1).

XLIV. Caveant denique animarum Rectores, ne hoc sacramentum iis tribuant suscipiendum, qui aut propter ætatem, aut propter perpetuam amentiam, nunquam usum rationis habuerint, nec ulla, vel levi culpa inquinare se potuerunt; nam cum hoc sacramentum illius pœnitentiæ sit complementum, non alii sacro oleo inungi possunt, quam qui confessionis, vel pœnitentiæ sunt, aut quandoque fuerunt capaces.

## CAPUT X.

### DE SACRAMENTO ORDINIS.

XLV. Divus Paulus sacerdotibus ait: « Dei sumus adjuto» res, non augendo ejus virtutem, sed opus ejus exequen» do (2) ». Qui igitur in sortem Domini vocati sunt, ut ejus Mysteriorum dispensatores fiant, diligenter expendant, qua morum integritate, qua doctrina, et virtute eos instructos esse oporteat. Nos tanti ministerii munus recogitantes, statuimus, nullos ad minores, majoresque ordines admittendos esse, nisi omnibus, quæ a Sacrosancto Tridentino Concilio, et a Diœcesanis Synodis requiruntur abunde esse præditos, nobis legitimis probationibus compertum erit (3).

XLVI. Præcipimus insuper, ut usque ad diœcesani semi-

(1) Instruct. part. 4. Act. Eccl. Mediol. pag. 543.
(2) S. Paulus apost. I. Corinth. III.
(3) Vid. Synod. Galli Gallucci, in qua extat requisitorum elenchus.

narii institutionem ( pro qua omnem operam navavimus, et cito eventuram ominamur ) qui ad majores ordines promovendi sunt, sacræ Theologiæ studio in nostro episcopio incumbant, ut alibi præscriptum fuit (1).

XLVII. Tam porro in majoribus, quam in minoribus ordinibus constituti, aut habitum clericalem deferentes, singulis festis diebus in ecclesiis, quibus jam addicti sunt, convenire teneantur, ibique bis saltem in singulos menses sanctissima pœnitentiæ, et eucharistiæ sacramenta omni devotione, et animi pietate suscipere debeant.

XLVIII. Spiritus congregationibus, ex regia etiam auctoritate (2) jampridem a nobis institutis, nec non casuum conscientiæ, et sacrorum rituum conferentiæ, diligenter, et devote intersint; in ecclesiis, quibus adscripti sunt, susceptos ordines exerceant, et ecclesiasticis functionibus ibidem serviendo assistant, Parochis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ad infirmos deferentibus subserviant; et singulis dominicis diebus, aliisque a Parocho indictis christianæ doctrinæ pueris exponendæ sedulo vacent. Nisi vero de hujusmodi servitio rite peracto fidele nobis præbuerint testimonium, et nisi ipsis in lege Domini ambulantibus, atque de virtute in virtutem progredientibus, eorum vitam cunctis venerationem, et spiritualem utilitatem afferre posse dignoverimus, eos ab Ecclesiastico ministerio, aut a superioribus ordinibus arcendos esse, declaramus.

XLIX. Parochi denique ( ut Benedicti PP. XIV. vestigiis insistamus ) et spiritus Congregationibus Præfecti, pro recto rerum ordine invigilent, et uniuscujusque agendi ratio-

(1) Enciclica stampata del dì 11 febbrajo 1826.
(2) Reali rescritti de' 16 giugno 1821, e de' 30 marzo 1822.

nem scrutentur, ad clericos sermonem habeant, non tam concionando, quam Instructionis, et Catechismi ritu, iis demonstrando, quibus dotibus, ac virtutibus instructos oporteat esse illos, qui ad Sanctuarii Ministeria digne accedere cupiant: quænam sint Ecclesiasticæ vocationis indicia: quæ ratio vitæ tum ex ipso clericalis professionis debito, tum ad proximorum ædificationem servanda ipsis erit, postquam in clerum adlecti, vel ad minores, majoresqne ordines promoti fuerint (1).

## CAPUT XI.

### DE SACRAMENTO MATRIMONII.

L. Ad specialem gratiam conjugibus conferendam, ad cœlestem benedictionem ipsis, et proli impertiendam, matrimonii contractus ad sacramenti dignitatem a Christo Domino evectus fuit, quod sacrameutum cum unionem sui Divini Institutoris cum Ecclesia repræsentet, magnum ab Apostolo appellatur. Ut autem sacramenti effectus obtineri possint, necesse est, ut conjuges ejusdem vim calleant, et potestatem. Parochi igitur ad matrimonia contrahenda non admittant eos, qui in principalibus fidei Mysteriis, et in Christiana Doctrina satis instructi non fuerint, aut sanctissimis pœnitentiæ, et Eucharistiæ sacramentis prius refici non curaverint, aut alias dispositiones non habeant ad uberrimas hujus sacramenti gratias percipiendas, ne ( ut ait Romanum Concilium ) panis Christi canibus detur.

LI. Pro recta præcedentis Constitutionis executione, Parochis præcipimus, ut antequam denuntiationes in ecclesia habeantur, sponsos super fidei rudimentis examinare curent. Nam

(1) Benedict. XIV. de Synod. Dœces. lib. XI. cap. II.

si potissimum eorum erit munus, suscepturam prolem juxta catholicam religionem educare, et christianis moribus imbuere, quomodo hoc fieri poterit, si ipsi christianam Doctrinam ignorent?

LII. Caveant item Parochi, ne in hujus sacramenti administratione aliquid prætermittant sacrarum regularum, et rituum, qui a Sacrosancta Tridentina Synodo præscribuntur (1).

LIII. Quum proclamationes ante matrimonium scite institutæ sint ad ejus canonica impedimenta detegenda, nec earum effectus obtineri possint, nisi præfata impedimenta probe cognoscantur, præcedentibus nostris Instructionibus (2) insistentes, parochis injungimus, ut eadem impedimenta dominico die infra Domini Epiphaniæ octavam, per singulos annos, populo declarare, et illum de revelationis obligatione instruere conentur.

LIV. Iidem animarum Rectores in clandestina matrimonia clamare non cessent, quæ nulla, et invalida esse Tridentina Synodus declaravit (3). Nam a primordiis usque Ecclesiæ cautum fuit, quod conjugia nonnisi coram sacerdote celebrarentur. Sanctus Ignatius ait (4): « decet vero, ut mariti, et » maritæ cum episcopi arbitrio conjugium faciant, quo nup» tiæ juxta Dominum sint, non autem juxta cupiditatem ». Inquit enim Tertullianus: « occultæ conjunctiones, idest, » non prius apud ecclesiam professæ, juxta mœchiam, et for» nicationem judicari periclitantur ». Quapropter Leo Impe-

(1) Sess. 24 de refor. matr.
(2) Pastorale del dì 5 gennajo 1825.
(3) Sess. 24 de reform. matr.
(4) Ad Polycarpum num.° 5.

rator ita sancivit (1): « ut sacræ benedictionis testimonio » matrimonia confirmarentur, adeo ut, si qui citra hanc ma» trimonium ineant, id ne ab initio quidem ita dici, neque » illos in vitæ illa consuetudine matrimonii jure potiri de» beant ». Hisce porro vestigiis inhærendo piissimus rex noster, dum clandestina matrimonia damnavit, pœnas etiam addidit, quas ab omnibus animarum Rectoribus populo explanari mandamus (2).

LV. Cum denique negari non possit, hunc esse Ecclesiæ spiritum, ut publice inter fideles matrimonia celebrentur, et tribus denuntiationibus præmissis (uti Tridentinum decrevit); cumque omnibus comperta sint mala matrimoniorum, qui *conscientiæ* nuncupantur; præcipimus, ut hæc matrimonia nullatenus celebrari possint, nisi ad normam Sacræ Constitutionis Benedicti PP. XIV., quæ incipit *Satis vobis* (3), regiarumque sanctionibus (4). Parochi autem sponsos admonere teneantur, hujusmodi matrimonia civilibus effectibus carere; uti ex regia auctoritate cautum est (5). Quæ quidem omnia appositis litteris jamdiu inculcavimus (6).

(1) Novella 89.
(2) Real decreto de' 25 settembre 1828.
(3) Bullar. Tom. I. Num.° 35.
(4) Reali rescritti de' 2 luglio 1823, e 26 febbrajo 1825.
(5) Real rescritto de' 2 luglio 1823.
(6) Pastorali del dì 23 gennajo 1824, e del di 6 marzo 1825.

## CAPUT XII.

### DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO, UBI DE MISSARUM OBLIGATIONE, ET CELEBRATIONE.

LVI. Nihil augustius, nihil inter christianæ religionis mysteria tam ineffabile, et tremendum, quam missæ sacrificium, ex quo cruenti sacrificii olim in cruce peracti infinita in nos merita, et infiniti profluunt effectus. Nam ( ut sacrosancta Tridentina Synodus ait) « una, eademque est hostia, » idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc » in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa (1).

LVII. Videant igitur sacerdotes, qua animi puritate, qua cordis munditie, qua devotione, et pietate, qua modestia, et gravitate accedere debeant ad hoc sacrificium peragendum, ne iram Domini provocent. « Mundemus itaque nos ( ait S. Basi» lius ) ab omni inquinamento, atque ita ad sancta acceda» mus, ut judicium eorum qui Dominum occiderunt effugia» mus, propterea quod quisquis ederit panem, et biberit po» culum indigne, reus erit corporis, et sanguinis Domini ». Audiant insuper Sacerdotes Divum Bernardum sic clamantem: » Væ filiis iræ, qui se ministros gratiæ profitentur: væ iis, » qui ambulantes in carne Deo placere non possunt, et velle » placere profitentur ».

LVIII. Internæ morum puritati, exteriorem etiam devotionis, et pietatis speciem respondere fas est, ne sacerdotes, qui tamquam mediatores inter Deum, et homines positi sunt,

---

(1) Trident. Sess. XXII. Cap. II.

illum magis ad iram, quam ad misericordiam inclinare faciant.

LIX. Intelligant igitur sacerdotes in missarum celebratione omnes ritus, ac cæremonias, ad rubricarum præscriptum, rigide observandas esse: Non nisi decenti, et oblonga veste ad tremendum hoc sacrificium accedant, uti a præcedentibus Diœcesanis Synodis, et a Nobis jam statutum fuit (1). Omnia, quæ in missali habentur clare, distincte, et non festinanter perlegant: secreta autem submissa, et alia intelligibili voce proferaut: debitam præparationem non omittant, et post sacrum peractum gratiarum actioni diligenter, et omni animi pietate incumbant. Transgressores Ecclesiasticis pœnis nostro arbitrio puniontur.

LX. Missam quotidie ( dummodo legitimum non adsit impedimentum ) celebrent, ne frustra Dei ministri appellentur, et in vacuum sacerdotalis doni gratiam accepisse videantur.

LXI. Populorum commoditati prospicientes, decernimus, ut sacerdotes ( nisi legitime præpediti fuerint ) in ecclesiis, quibus addicti sunt, singulis diebus festis sacrum faciant, et omnino interdicimus missas quæritare ubi largiorem habeant stipem, ne potius nundinatores, quam Dei Mysteriorum dispensatores existimentur.

LXII. Volumus insuper, ut missarum celebratio ab omni cupiditatis, et avaritiæ specie removeatur, ideoque Sacram Benedicti PP. XIV. Constitutionem, cujus initium *Quanta cura* die datam XXX mensis Junii MDCCXLI hic memorari statuimus, qua præscribitur « quemcumque, qui eleemosy-
» nas, seu stipendia majoris pretii pro missis celebrandis,
» quemadmodum locorum consuetudines, vel Synodalia sta-

(1) Enciclica de' 30 gennajo 1824.

» tuta exigunt, colligens, missas, retenta sibi parte earum-
» dem eleemosynarum, seu stipendiorum acceptorum, sive
» ibidem, sive alibi, ubi pro missis celebrandis minora sti-
» pendia, seu eleemosynæ tribuuntur, celebrare fecerit, lai-
» cum quidem, seu sæcularem ( præter alias arbitrio episcopi
» irrogandas pœnas ) excommunicationis pœnam, clericum
» vero, sive quemcumque sacerdotem, pœnam suspensionis
» ipso facto incurrere, a quibus nullus per alium, quam per
» Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus,
» absolvi possit (1) ».

LXIII. Fideles autem vehementer hortamur, ut tremendo huic sacrificio devote, et modeste adsint, et a collocutionibus, omnibusque aliis actibus vanitatem, aut contemptum redolentibus, omnino abstineant, ut uberrimos ejus fructus percipere, et Dei iracundiam effugere valeant.

LXIV. Ad pias fidelium dispositiones rite adimplendas naturali, et religioso vinculo obstringimur. Præcipimus ideo missarum celebrationem in omnibus exequi deberi juxta disponentium mentem, quoad locum, altare, et diem, et quoad alia, quæ ab ipsis recte extant disposita. Ne autem ignorantiæ prætextu, sacrum hoc munus prætermittatur, ea renovantes, quæ in præcedentibus Diœcesanis synodis, et sanctæ visitationis decretis salubriter jam cauta sunt, omnibus, ad quos spectat, injungimus, ut in unoquoque ecclesiarum sacrario distinctus, atque spectatissimus affixus sit missarum elenchus, seu tabella, in qua omnia describantur missarum onera, omnesque, præsertim de tempore, de loco, et altare circumstantias præseferat. Cunctis interim innotescat, quod sanctæ

(1) Vid. Bullar. Tom. I. Const. XXII.

visitationis tempore strictam de his rationem rogabimus, et rigide in contravenientes animadvertemus.

LXV. Præscribimus denique, ut in cathedrali, et collegiatis missa conventualis pro benefactoribus in genere quotidie canatur, ad normam Sacræ Constitutionis Benedicti PP. XIV, quæ incipit *Quum semper* die datæ XIX mensis Augusti MDCCXLIV (1); nec non Virginiani nostri ordinis constitutionum (2).

## CAPUT XIII.

### DE ECCLESIIS, EARUMQUE CULTU.

LXVI. Cum domus Dei domus orationis sit, et maxima eam deceat sanctitudo, curent animarum rectores populum diligenter edocere, qua devotione, qua humilitate, et decentia Ecclesias ingredi, ibique morari teneantur fideles, ne illæ quavis irreligiositate violentur, aut Deo ludibrium potius, quam cultus, in ipso ejus sanctuario reddatur, et ne cum placatum nobis volumus, ejus potius furorem, ejusque flagella excitemus.

LXVII. Sit igitur decens, et humilis fidelium habitus, devotus, et gravis incessus, sacris orationibus in ecclesiis incumbant, sanctissimum sacramentum flexis genibus adorent, non ibi sint strepitus, non risus, non colloquia, non denique alia, quæ Dei cultum, Ecclesiæ decorem, et christianam pietatem dedecent.

(1) Bullar. tom. I. Const. CIII.
(2) Constitut. VII. de Abbatibus.

LXVIII. Curent Ecclesiarum rectores, ut omnia in eis sint munda, ornata, et Divino cultui, quantum fieri poterit, congruentia, nihilque prætermittant, ut digna Dei habitacula videantur, alioquin eorum conscientias graviter oneratas esse sciant.

## CAPUT XIV.

### DE FESTORUM, ET JEJUNII OBSERVANTIA, UBI DE PROCESSIONIBUS.

LXIX. « Memento, ut sabbata sanctifices » ait Dominus: et ne hoc præceptum contemneretur, horrendam addidit in violatores pœnam: « Sabbata mea violaverunt vehementer: dixi » ergo ut effunderem furorem meum super eos, et consume- » rem eos ». Quum enim festa instituta sint, ut potissimus Deo reddatur honor, et cultus, eique pro innumeris beneficiis peculiari modo gratiæ referantur, necesse est, ut ea omni pietate, et devotione observentur, ne in Domini furorem incidamus.

LXX. Solliciti ideo sint singuli animarum rectores, quae ad rectam festorum observantiam, et a servilibus abstinentiam pertinent, populo diligenter exponere, diesque festos declarare, juxta nuperrimam Pii PP. VII. Constitutionem (1). Utque sacro huic præcepto debito more obtemperetur, omnes edoceant, a servilibus abstinentiam ea mente institutam esse, ut a laboribus quiescentes, Deo vacare debeant, ideoque festum observare nihil aliud audiat, quam peculiarem Deo cultum reddere, ferventer orare, verbum Dei audire, christianæ catechesi incumbere, piis misericordiæ operibus attendere, et augustissimo missæ sacrificio pie, et devote adesse, ut saluberrimos ejus fructus participare possint.

(1) Constitutio X. Apr. MDCCCXVIII.

LXXI. Clament igitur Parochi, aliique animarum rectores in illos, qui suis operibus diabolo potius, quam Deo in diebus festis vacare student, et ad ludicra, comessationes, ebrietates, aliaque scelera operam dantes, pro laude, et honore, opprobrium Deo reddunt, atque convicium.

LXXII. Ipse sanctissimus mundi Salvator jejunii nobis dedit exemplum, quod ad carnis petulantiam compescendam, et ad spiritum vivificandum maxime conferre, nemo non videt. Piissima igitur Mater Ecclesia Redemptoris vestigiis insistendo, jejuniorum observantiam fidelibus injunxit. Nam ( ut ait Benedictus PP. XIV. ) « hoc nobis quotidie peccantibus communis » pœnitentiæ constituto remedio, per consortium Crucis Chri» sti, nos etiam aliquid in eo, quod ipse propter nos præstitit, » agimus, simulque ad recolenda sacratiora redemptionis nostræ » mysteria, quæ per Dominicæ Passionis, ac Resurrectionis » memoriam, quadragesimali potissimum tempore solemnius ce» lebrantur, purificatis jejunio corporibus, et animis, dignius » paramur. Hoc, veluti nostræ militiæ tessera, ab inimicis » Crucis Christi secernimur, flagella divinæ ultionis avertimus, » et cœlesti præsidio in dies adversus principes tenebrarum mu» nimur. Hoc despectui habito, non contemnendum divinae glo» riæ detrimentum, non leve catholicæ religioni dedecus, nec » dubium animabus Cristifidelium periculum oboritur: nec aliunde » populis calamitates, rebusque publicis, et privatis cladem, exi» tiumque importatum esse constat (1).

LXXIII. Quapropter animarum rectores hujus præcepti gravitatem, et quæ ad rectam ejus observantiam spectant, juxta prædecessorum nostrorum regulas (2) populo exponere curent,

(1) Bullar. Constit. XIX.

(2) Vid. Synod. Galli Gallucci. Cap. XVII. pag. 36.

nec non statuta jejunii tempora ad normam Apostolicae constitutionis Pii PP. VII. (1) a præcedenti die festo inter missarum solemnia indicere, atque (ut moris est) campani æris sonitu annuntiari, ne ignorantiæ prætextu salutare hoc opus contemnatur.

LXXIV. Admoneant insuper fideles, nihil iis corporalem abstinentiam prodesse, nisi ab omnibus inquinamentis, et sceleribus abstineant, et nisi ea cum pietatis operibus, animi devotione, et cordis puritate conjuncta sit.

LXXV. Curent itidem animarum rectores fidelibus declarare, sacras Processiones eo consilio ab Ecclesia initas esse, ut ira Dei placaretur, ejusque clementia publicis supplicationibus imploraretur. Quamobrem illos edoceant, qua pietate, et devotione, qua humilitate, et decentia illas exequi teneantur, ut earum effectus consequi possint. Volumus autem, ut, præter eas, quæ jam regulariter statutæ sunt, non aliæ processiones, nisi de expressa nostri licentia, nec omnes, nisi de mane, peragantur (2).

## CAPUT XV.

### DE SEPULTURIS.

LXXVI. Quod naturæ officium erat, pacem defunctis precari, eorumque cadavera tumulare, Ecclesia consacravit. Singulis ideo, ad quos spectat, præcipimus, ut omnia, quæ de funeribus, et sepulturis in Rituali romano jussu Pauli PP. V. edito statuuntur, rigide observentur.

---

(1) X. Apr. 1818.

(2) Quoad processionem, et venerationem sacrarum reliquiarum vid. Ritual. Rom. de processionib., et Diœces. Synod. Galli Gallucci cap. XV.

LXXVII. Sciant ecclesiarum Rectores ab ecclesiastica sepultura arcendos esse illos, qui moriendo Ecclesiæ communione carebant, uti sunt hæretici, schismatici, nominatim excommunicati, et interdicti, atque alii, qui in laudato rituali videri possunt. Recensendi hic sunt etiam veri suicidæ, idest seipsos ex industria necantes, et publici impœnitentes, pro quibus ea observari mandamus, quæ a Religiosissimo Rege nostro Francisco I., circa ecclesiasticæ sepulturæ privationem, salubriter sancita sunt (1), quorum executionem appositis Encyclicis commendavimus (2).

LXXVIII. Quum autem ex regalibus sanctionibus parochorum demandetur judicio, an suicidis, et impœnitentibus concedi, aut negari debeat ecclesiastica sepultura, Parochis eisdem praecipimus, judicium suum rite proferre, ne salutares hujusmodi leges, ob eorum negligentiam, effectibus carere contingat.

## CAPUT XVI.

### DE SPIRITUS CONGREGATIONIBUS.

LXXIX. Studiosa juventus, ex qua maxime pendet ecclesiæ, humanæque societatis bonum, præcipuas sibi vindicat curas. Quamobrem, ex Regia etiam auctoritate, orta est spiritus congregationum institutio, quæ in hac diœcesi jampridem initæ sunt. Ut autem uberrimos hujus institutionis fructus colligere possimus, omnia, quæ Regiis rescriptis (3) super salutari hoc

---

(1) Ritual. Rom. jussu Pauli V. edit. de exequiis. Decreto reale de' 10 ottobre 1826.

(2) Pastorale del dì 28 ottobre 1826 e del dì 10 giugno 1827.

(3) Reali rescritti de' 16 giugno 1821, e 30 marzo 1822.

opere sancita sunt, regulasque jam a nobis pro recto rerum ordine statutas, cuncti exequi teneantur (1).

LXXX. Præfecti, aliique ecclesiastici a nobis ad id specialiter deputati, congregatis adolescentibus, catechesis modo sermonem habeant, ut verbi Dei pabulo assidue nutriantur. Eos ad sacramentorum frequentiam erudiant, Doctrinam Christianam, et divina mandata edoceant, nec aliquid praetermittant, ut catholicis moribus, et christiana pietate imbuantur.

LXXXI. Quæ Summo romano Pontifici, et catholicæ ecclesiæ veneratio debeatur, atque obedientia, illis exponere non desinant: Nam ipse Salvator noster ecclesiæ sponsus ait: « Si » quis ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam ethnicus, et » publicanus ». Excelsam summi Pontificis dignitatem ostendant, qui ut Jesu Christi vicarius, et caput Ecclesiæ visibile nobis datur. Ut enim verbis Leonis magni utamur: « Unus Petrus » eligitur, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus » apostolis, cunctisque ecclesiæ patribus præponatur, ut quamvis » in populo Dei multi sacerdotes sint, omnes proprie regat Pe» trus . . . . Magnum, et mirabile huic viro consortium poten» tiæ suæ tribuit divina dignatio ».

LXXXII. Doceant pariter adolescentes, ad quam venerationem, et obedientiam erga Regem teneantur, et quo fidelitatis, et devotionis vinculo, ex Divino etiam præcepto, obstringantur. Scriptum est enim: « Per me reges regnant, et legum » conditores justa decernunt ». Et iterum: » Per me Principes » imperant, et potentes decernunt justitiam ». Verbis itaque

(1) Regolamento de' 4. sett. 1821., Circolari del dì 1 aprile 1822, 28. aprile 1823, e 27 novembre 1824. Enciclica stampata del dì 11 febbrajo 1826.

summi Pontificis Clementis XIV. præfatos ecclesiasticos hortamur « ut post Deum, ac divini cultus constitutas in ecclesia » rationes, omnem sollicitudinem suam ad populum regum obe» dientiæ, ac obsequio vitæ imbuendum convertant. Illi ad » publicam incolumitatem tuendam, ac homines in juris æqui» tate retinendos in altissimo gradu præ cæteris constituti sunt. » Ministri enim Dei sunt in bonum (1).

LXXXIII. In virulentos libros flagranti studio invehantur, tamquam Ecclesiæ, et humanæ societati exitiosissimos, ut adolescentes a primis usque annis ab illis abhorreant, et in eorum recordatione perhorrescant.

LXXXIV. Erga parentes officia pueris memorare frequenter incumbant, cunctaque alia in eorum animos instillare conentur, quæ illos bene moratos, et vere christianos reddere possint.

LXXXV. Ludi magistri, ad normam regalium sanctionum (2), omnes discipulos suos ad congregationes ducere, et christianis moribus illos instruere teneantur: secus scholæ exercitia, juxta laudatas sanctiones (3), interdicentur. Si autem indocilis aliquis puer existat, qui congregationi adesse noluerit, e schola ejiciatur (4).

LXXXVI. Parentes autem exhortamur, ut filiis suis sacras congregationes frequentare jubeant, et omni studio rectæ eorum educationi a primis usque annis intendant. Scriptum est enim:

---

(1) Epist. Encycl. XII. decemb. anno sui pontificatus I. — Apost. cap. XIII. per tot. ad Rom.

(2) Reali rescritti de' 16 luglio 1821, e 30 marzo 1822.

(3) Detti reali rescritti.

(4) Real rescritto de' 30 marzo 1822.

« filii tibi sunt : erudi illos, et curva illos a juventute sua (1) ». Et alibi : « erudi filium, et refrigerabit te, et dabit lætitias » animae tuae (2) ». Si vero hoc potissimum eorum munus parentes neglexerint, super filios suos plorabunt (3), et a publicis officiis, tamquam indigni, ex regia auctoritate repellentur (4).

LXXXVII. Volumus denique, ut omnia, quæ de præfatis congregationibus ex regiis jussis præscripta, et a nobis inculcata sunt, populo ab animarum rectoribus sedulo publicentur, ut omnes regiis præceptis, nostrisque monitis parere studeant, nec pœnas ignorent, quibus violatores subjiciuntur.

## CAPUT XVII.

### DE CASUUM CONSCIENTIÆ, SACRORUMQUE RITUUM CONFERENTIA.

LXXXVIII. Quantum sacerdotibus necessaria sit scientia, Dominus Ipse pronuntiavit : « quia repulisti scientiam, repellam » te, ne sacerdotio fungaris mihi (5) ». Nam si præcipuum est sacerdotum officium fideles erudiendi, eos in viam salutis, et mandatorum Domini dirigendi, catholicæque religionis veritatem contra impiorum errores, et deliramenta vindicandi, oportet, ut in rerum sacrorum studio impigre se exercere non desinant.

---

(1) Eccles. 7 V.° 25.
(2) Prov. 19 V.° 17.
(3) Vedi la nostra enciclica stampata de' 11 febrajo 1826.
(4) Real rescritto de' 30 marzo 1822.
(5) Oseæ 4.

LXXXIX. Ea itaque renovantes, quæ nostris Encyclicis jam statuta sunt (1), præcipimus, ut non solum sacerdotes omnes, sed ii etiam, qui habitum induunt clericalem, quamvis nullum adhuc ordinem susceperint, casuum conscientiæ, sacrorumque rituum conferentiæ salubriter in unaquaque Parochiali Ecclesia institutæ, statis per hebdomadam diebus, inviolabiliter adesse teneantur, in qua alternatim, et rituum, et conscientiæ casus proponantur,. discutiantur, et practice exerceantur (2).

XC. Conferentiæ Præfecti ( ut in præfatis Encyclicis habetur ) suum esse sciant, casuum resolutionis acta in unoquoque mense nobis tradere, ut a nobis ipsis, aut ab aliquo sacræ Theologiae Professore, per nos eligendo, recte examinentur; nec in eisdem actis, pro singulis conferentiæ diebus, intervenientium nomina, et illorum, qui casuum resolutionibus incubuerunt, adnotare omittant, ut eorumdem in sacris scientiis profectum dignoscere possimus, et diligentes prœmio, ac laude, indociles vero ecclesiasticis pœnis afficere valeamus.

XCI. Ad augendam ejusdem conferentiæ utilitatem, Parochi, et Præfecti, antequam ad præscriptas casuum, et sacrorum rituum exercitationes accedant, partem aliquam hujus Synodi Constitutionum, et nostræ moralis Encyclicæ sub datum XXX mensis Januarii 1824 Congregatorum meditationi proponere curent (3).

---

(1) Encicliche de' 30 gennajo, e 27 novembre 1824, e de' 11 febrajo 1826. Regolamento de' 13 febrajo 1828.

(2) Vid. Romanum conc. a Benedicto XIII. habit. anno MDCCXXV.

(3) Vedi il nostro regolamento del dì 13 febrajo 1828.

## CAPUT XVIII.

### DE VITA, ET HONESTATE CLERICORUM.

XCII. « Vos estis lux mundi » sacerdotibus ait Dominus. Divus Petrus « genus electum » et Divus Paulus « Ministros » Christi, et Mysteriorum Dei Dispensatores » illos appellat. Si ergo lux sunt, oportet ( Dominus subdit ) « ut sic coram homi- » nibus luceant, ut videant illorum opera bona, et Patrem glo- » rificent, qui in Cœlis est (1) ». Si gens electa, Christi Ministri, et Dei Mysteriorum Dispensatores appellantur, necesse est, ut vitæ sanctimonia, morum gravitate, sermone, habitu, et incessu altissimæ suæ vocationi respondere conentur. Abunde enim compertum est, nihil esse, quod magis populum ad devotionem, et pietatem inflammet, quam eorum exemplum, qui Divino Ministerio se manciparunt.

XCIII. Quapropter ad vitam clericorum reformandam, ad eorum mores, juxta sacros canones, componendos, omnes nostras curas, et labores, frequentibus præcipue Encyclicis, etiam prælo consignatis (2), nunquam hactenus conferre cessavimus. Ea nunc renovantes, quæ jam statuta fuerant, sequentes constitutiones rigide observari mandamus.

XCIV. Clerici omnes habitum clericalem, et tonsuram suo ordini congruentem j ugiter deferant, *collario*, et pileo clericali, vulgo *alla romana*, et calceamentis cum decentibus fi-

---

(1) S. Matth. V. 16.

(2) Encicliche de' 30 gennajo, e 27 novembre 1824, de' 11 febrajo 1826, e de' 21 novembre 1827.

bulis utantur, ut per habitus extrinseci decentiam, morum honestatem intrinsecam ostendant (1).

XCV. Ecclesiam non ingrediantur, ad quamcumque Ecclesiasticam functionem peragendam, præsertimque ad augustissimum Missæ sacrificium conficiendum, nec ad nos, et ad nostram curiam accedant, nisi habitum induant talarem, quantum commode in nostra Diœcesi fieri poterit, ad normam postremæ Diœcesanæ Synodi a nostro prædecessore Isidoro Bevere anno Domini MDCCLXXXVIII. celebratæ cap. V. de Vita, et honestate clericorum const. 1. Parochi vero, aliique animarum rectores, ex regiis etiam Decretis (2), eumdem talarem habitum semper deferre teneantur. Pro recto autem ordine, caveant Ecclesiarum rectores, ne ullus sacerdos ad sacra facienda admittatur, nisi decenti veste, ut jam statuimus, indutus fuerit.

XCVI. Annulos Ecclesiastici, sine speciali facultate, non deferant, juxta sacræ rituum congregationis Decreta (3), illosque omnino deponant ad Missæ sacrificium accedentes: atque ab omnibus abstineant, quæ vanitatem redolent.

XCVII. Non nisi ad normam sacrorum canonum, regaliumque sanctionum clericis venationem permittimus, simplicem scilicet, non clamorosam, et ad solum animi levamen: dummodo vero legitimam a laicali potestate facultatem habeant, nobis ex rationabili causa consentientibus, ut regiis quoque jussis

---

(1) Conc. Trid. Sess. 14 cap. VI. de reform. Real rescritto del dì 14 luglio 1827: Pastorale del dì 20 dello stesso mese.

(2) Real dispaccio del 1778.

(3) Sacra rit. Congreg. 2 febr. 1623 Clement. Quoniam de vita, et honestate cleric.

cautum est (1). Interdicimus autem omnino, eos in plateis, aut aliis publicis locis morari cum ignea balista, vulgo *schioppo*, etiamsi vestibus venatoris induti sint (2).

XCVIII. Alearum, taxillorumque, aliosque similes ludos, et speciatim *al tocco* vulgo nuncupatum, clericis prorsus prohibemus. Nam ad Apostoli sententiam redigendi sunt sacerdotes, qua ait « non licere, quæ non expediunt, non licere quæ non » ædificant ». Nihilominus si alearum ludibus a sacris canonibus, regiisque sanctionibus non interdictis in privatis domibus ludatur, sine spe lucri, et ad solum animi levamen, nullum esse peccatum declaramus, ad normam laudatæ Diœcesanæ Synodi anno habitæ MDCCLXXXVIII (3). Regularibus autem quæ in adnotatione VIII. ad constitutionem X. Virginiani nostri ordinis de ludibus habentur, rigide exequi mandamus, *ne de ipsis dicatur, quod contaminent sancta, et reprobent legem* (4).

XCIX. Longe absint Ecclesiastici a choreis, comœdiis, aliisque spectaculis, nec audeant choreas ducere, larvati, aut personati incedere (5). Sanctum Carolum Borromæum sic audiant dictantem: « Clerici personati non incedant, choreas pri- » vatas, aut publicas non agant, nec spectabunt . . . . Fabu-

---

(1) Conc. Trid. Sess. 24, cap. XII, de refor. Real rescritto del dì 11 luglio 1827.

(2) Detto real rescritto.

(3) Const. III. De vita et honestate cleric.

(4) Adnotatio VIII. ad X. Constitutionem §. 11.

(5) Tridenl. Sess. XXII. Cap. 1, et Sess. XXIV. Cap. XII. Real rescritto de' 17 agosto 1768.

» lis, Comœdiis, hostiludiis, aliisque profanis, et inanibus spe-
» ctaculis, non intererunt, ne oculi, et aures sacris officiis ad-
» dicti, ludicris, et impuris actionibus, sermonibusque pol-
» luantur (1) ».

C. Cauponas, aut potatorias tabernas non ingrediantur, neque diversoria frequentent, nisi sint viatores, nec omnino se misceant laicis compotantibus: Nam ( ut ajunt Concilii Cameracensis Patres ) « vilescit plurimum ex ea turpi, et indecora » consuetudine Ecclesiastici ministerii dignitas (2) ».

CI. Ebrietatem tamquam pestem effugiant; nihil enim sacerdotalem decorem magis deturpat. Meminerint, quod ebriosi perditionis notam a Divino Oraculo pronuntiatam declinare non poterunt: « Neque fornicarii, neque adulteri, neque ebriosi » regnum Dei possidebunt (3) ». Et ab ipso Divino Oraculo ebrietatis mala discant, et perhorrescant: « Sacerdotes, et Pro- » phetas nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt a vino, erra- » verunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt ju- » dicium ».

CII. A luxu, et comessationibns omnino abstineant, Divum Lucam audiendo, qui ait: « Attendite autem vobis, ne graven- » tur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vi- » tæ, et superveniat in vos repentina dies illa (4) ». Componant propterea omnes clerici suos mores, ut reliqui ab eis fru-

(1) Act. part. Eccl. Mediol. 1. pag. 19.
(2) De vita, et hon. Cleric.
(3) Apost. ad Corinth. 6. 10.
(4) S. Luc. 21, 34.

galitatis, modestiæ, continentiæ, ac quæ nos tantopere commendat Deo sanctæ humilitatis exempla petere possint (1).

CIII. Præsentis temporis pravitatem, quo habendi cupido animos clericorum veluti tabes invasit, dolemus ex corde. Apostoli igitur effatum clerici in memoriam revocare non cessent: » Radix omnium malorum est cupiditas (2) ». Et alibi: *Idolorum servitus* (3). « Quod si haec (ait Benedictus PP. XIV.) » in laicis hominibus minime toleranda, atque adeo legibus coer- » cenda, quid in Ecclesiasticis Viris, qui terrenis rebus nuntium » miserunt, qui in sortem Domini vocati, qui Deo mancipati sunt?» Audiant insuper Chrisostomum sic loquentem: « Mea sententia » cum mille Dœmoniacis habitandum potius est, quam cum uno, » qui hoc morbo laboret. Dœmoniaci omnes simul tantum fa- » cinus non committunt, quantum Judas solus sua commisit ava- » ritia ». Sapientis expendant eloquium: « Quid nobis profuit su- » perbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? transie- » runt omnia illa tamquam umbra (4) ».

CIV. Ex his orta est lex, qua nihil antiquius in Ecclesia, clericis interdicens omnem sæcularem curam, et quæstuosam negotiationem. Quamobrem ad normam Apostolicarum Constitutionum, sacrorumque canonum, cujuscumque generis negotiationem, omnesque fœnebres contractus, sive usuraria labe quomodocumque notatos, aut indigni lucri causa initos, ( inter quos mutui lucrum supra sortem tribuentis, et agrorum conductionis contractus recensendi sunt ), clericis, etiam per interpositas per-

(1) Tridentinum Sess. 14 et 22 de reform.
(2) S. Paul. 1. ad Tim. 6.
(3) Apost. ad Eph. 5.
(4) Sapient. 5. 8 et seq.

sonas, prohibemus. Sciant ergo ( ut verbis Gelasii PP. utamur ) « ab indignis quæstibus abstinendum, et ab omni cujuslibet negotiationis ingenio, vel cupiditate cessandum »: quod etiam ab Alexandro PP. III. sub anathematis interminatione præscribitur.

CV. Ab omnibus quoque officiis Ecclesiasticæ vocationi extraneis, atque a sacerdotali dignitate alienis, abstineant, quemadmodum regiis etiam jussis sancitum est: nec sæcularium se misceant negotiis, nisi ad eorum discordias componendas, et lites conciliandas, ut christianam foveant caritatem.

CVI. Quoad vero regulares, volumus, ut adnotationi VIII. ad X. nostri Virginiani ordinis constitutionem flagranti studio se conformare teneantur, qua præscribitur omnia detestari debere, quæ regularium statui adversari noscuntur; maxime autem sæcularia negotia, et contractus, pro quibus peragendis ne ipse quidem Prælatus indulgere potest, cum non detur facultas dispensandi in paupertatis voto, quod sicuti omnis proprietatis abdicationem dicit, ita est de jure divino, cui prævalere non potest qualiscumque opposita consuetudo, quæ per sacros canones, corruptela legis, penitusque extirpanda, probe dicitur, et reprobatur (1).

CVII. Otiosos sermones, in publicis præsertim locis, effugiant, illius memores, quod Redemptor noster ait: « Dico autem vobis, quod omne verbum otiosum, quod locuti sunt homines, reddent rationem de eo in die judicii ».

CVIII. A suspectis, et minime decentibus conversationi-

---

(1) Adnot. VIII. ad const. X. §. 11.

bus, præcipue fœminarum, et ab omnibus non honestis colloquiis abhorreant. Scriptum est enim: « Corrumpunt bonos » mores colloquia mala (1) ».

CIX. Odium, et maledicta detestentur, quæ christianam caritatem, idest perfectionis vinculum ( ut eam Apostolus apappellat ) dissolvunt. Omnes ideo ad divini præcepti normam, dilectionem habeant ad invicem, ut Domini Discipuli appellari mereantur, ipsumque Dominum assidue audiant dicentem: « Di» ligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos, et » orate pro persequentibus, ut sitis filii Patris vestri, qui so» lem suum oriri facit super bonos, et malos ». Apposite autem de maledicis clamat Chrisostomus: « Fratrem tuum devo» ras, mordes, laceras, licet non dentibus, verbis tamen mor» sibus quibusvis gravioribus: Quomodo ergo sacram oblationem » sumes, qui linguam humano sanguine rubefecisti? » (2).

CX. Ambitionem, quæ a Divo Thoma dignitatis, et honoris inordinatus appetitus appellatur, nunquam in eorum cordibus immorari contingat, utpote christianæ humilitati prorsus adversantem. Namque ( ait S. Bernardus ) « potestatis ambitio » Angelum felicitate privavit, scientiæ appetitus hominem im» mortalitatis gloria spoliavit. Non Evam cibus deflexerat, non » mandatorum destituerat oblivio, sed promissi honoris ambitio » illecebrose decepit ».

CXI. Boni nominis assiduam habeant curam, ut eorum dignitati congruere perspicitur. Ne autem Ecclesiæ Ministrorum existimatio ulla fœdi criminis suspicione imminueretur, magna synodus Nicæna ita sancivit: » Interdixit per omnia sancta Sy-

---

(1) Apost. 1 ad Corinth. 15.
(2) Hom. 2 in Epist. ad Rom.

» nodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec » alicui omnino, qui in clero est, licere subintroductam habere » mulierem, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut ami- » tam, vel eas tantummodo personas, quæ suspicionem effu- » giant (1) ». Huic decreto consonat etiam lex 19. Cod. de Episcop. ,et clericis. Hisce igitur vestigiis inhærentes, clericis omnibus seorsim a propriis familiis, et conjunctis viventibus, præsertimque animarum rectoribus, præcipimus, fœminas, etiam famulatus titulo, introductas, ab eorum cohabitatione omnino arcendas esse, nisi iis fuerint arcto naturali fœdere conjunctæ, et omnem suspicionis notam effugiant. Qui ideo fœminas extraneas nunc habent secum cohabitantes, mensis spatium eis concedi sciant, ut illas a se prudenter abjiciant: quo tempore elapso, violatores suspensione a divinis, aliisque Ecclesiasticis pœnis rigidissime punientur.

CXII. Castitatem religiosissime custodiant, longeque absint ab omnibus, quæ sanctæ huic virtuti adversantur. « Qui enim » sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concu- » piscentiis suis ». « Sancti estote (ait Dominus) quia Ego san- » ctus sum. Qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, » non accedat offerre hostias Domino (2) ».

CXIII. Divinum Officium, seu Horas canonicas debito modo, et ad Sacrorum Canonum præscriptum, non cursim, et festinanter, sed reverenter, et distincte quotidie explere satagant, pro tanti operis dignitate, atque excellentia, eamque animi devotionem adhibeant, quam laudes Altissimo persolventibus maxime decere videatur.

---

(1) Can. 3. de subintrod. mulier. S. Basil. Epist. 17.
(2) Lev. II. 44.

CXIV. Ecclesiis, quibus Sanctissimum Sacramentum fidelium venerationi exponitur, seu sanctissimi Sacramenti visitationi, quotidie interesse curent, ut ad eorum exemplum populi erga Deum cultus augeatur.

CXV. Nulli clericorum cujuscumque gradus ( exceptis Parochis, aliisque animarum rectoribus ) Verbum Dei, sine expressa nostri facultate, prædicare liceat.

CXVI. Nunquam clerici a Diœcesi discendant, sine nostris Discessorialibus literis, ut ad normam Regalium Instructionum jamdiu statuimus (1).

CXVII. Attendant denique sacerdotes sui muneris esse quotidie in Ecclesia ministrare, sacrificando, instruendo, et docendo gentes, et animas fidelium dirigendo ad ovile nostri Salvatoris, ut possint retributionem accipere in tempore opportuno.

## CAPUT XIX.

### DE ARCHIPRESBYTERIS, PAROCHIS, ALIISQUE ANIMARUM RECTORIBUS.

CXVIII. Archipresbyteri, Parochi, aliique animarum rectores, ut dignitate excellunt, ita cæteris tum de clero, tum de populo morum et vitæ integritate, religione, pietate, et gravitate excellere debent, ut nihil in eis reprehendendum populus dignoscat « et is qui ex adverso est vereatur, nihil » habens malum dicere de illis (2) ». Ita igitur se præbeant, ut paternæ vigilantiæ, et bonorum operum exemplum cunctis

(1) Conc. Trid. Sess. 24 Cap. XII. de refor. Real rescritto del dì 11 agosto 1825. Pastorale de' 15 detto mese, ed anno.

(2) S. Paul Apost.

tribuere possint, illud assidue recogitando, quod de animabus sibi commissis rigidam supremo judici rationem sint reddituri.

CXIX. Ut autem proprii muneris vocationem, et partes implere queant, oportet, ut omnibus fungantur officiis, quæ a sacrosancto Tridentino Concilio iis præscripta sunt, et præcipue plebem per se incessanter instruant, et sacramentis reficiant, quotidianas pro populo ad Deum preces, et orationes effundant, et laudabilis vitæ, et conversationis exemplo, virtutibus, et morum disciplina omnibus præluceant, viamque salutis præmonstrent (1).

CXX. Verbi Dei prædicatione fideles assidue alere satagant, non tam concionando, quam catechesis, et instructionis modo, et singulis saltem diebus festis sermonem super currenti evangelio populo habeant, illud Prophetæ diligenter expendentes: « clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, » et annuntia populo meo scelera eorum ». Nec omnibus comminari vereantur quod comminatus est Christus: « Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis ».

CXXI. Rudimenta fidei, seu Doctrinam christianam, pueros, aliosque hac ope indigentes in eisdem festis, et in singulis Quadragesimæ diebus, per se, aut per alios idoneos clericos docere non prætermittant; pauperum, et ægrotorum peculiarem habeant curam; disperditas oves omni sollicitudine ad ovile revocare conentur; suum munus (dummodo legitimum non adsit impedimentum) per se ipsos explere studeant; in sacramentis administrandis semper præsto sint; personalem residentiam, juxta sacrosanctæ Tridentinæ Synodi Decreta, rigide observent, ne oves suas deserant, quas acqui-

(1) Sess. 14, et 23 de reform.

sivit sibi Christus cruore suo; dissidentes animos componant; illicitas uniones solvere curent; matrimonia promoveant; scandala abscindant; et sic denique in sui gregis procuratione se gerant, ut Divus Gregorius admonuit: « Non deut somnum » oculis suis, ut ministerii sui digne peracti prœmia consequantur (1) ».

CXXII. Diligenter dignoscant, an in suis Paræciis sint publici peccatores, vel impœnitentes, præsertimque si concubinarii, publice excommunicati, et in excommunicatione ultra annum insordescentes, sectatores, hæresiæ suspecti, blasphemi, adulteri, lenones, usurarii, aut nefario alio scelere inquinati, usurpatores rerum ad Ecclesiam pertinentium, et conjuges, sine judicio, separatim viventes. Si de his aliqui reperti fuerint, corripiantur, et si incorrigibiles se se ostenderint, ad nos deferantur, ut opportunis, validioribusque adhibitis remediis, ad meliorem frugem revocari possint.

CXXIII. In sermonibus populo habendis immane scelus procurandi abortum detestentur, ut omnes ab illo exhorrescant, utque mulieres intelligant iram Dei super se provocare, et deformes divino conspectui apparere, dum hominum conspectui turpitudinem suam abscondere videntur.

CXXIV. Baptizatorum, Confirmatorum, conjugatorum, mortuorumque tabulas sedulo, et nitide asservent. Paræciæ bonorum inventarium, si adhuc desideretur, per duorum mensium spatium, summa diligentia conficiant, nobisque sanctæ Visitationis tempore præbeant inspiciendum. Appositum, et concinnum tabularium habeant, iu quo tam hujusmodi libri, et inventaria, et scripturæ omnes ad Paræciam pertinentes, quam sanctæ Visitationis Decreta, nostræque Pastorales, et

(1) S. Gregor. Homil. II. super Ezechielem.

Encyclicæ litteræ, quæ in peculiari libro, ut jam disposuimus (1), transcribendæ erunt, distinctis loculis custodiantur.

CXXV. Ut publicæ supplicationes debito modo et statis temporibus pro summo Romano Pontifice, et pro Religiosissimo rege nostro, augustaque conjuge fiant, sedulo incumbant, quomodo fusius inculcavimus nostris Encyclicis litteris typis editis sub datum XI Februarii MDCCCXXV (2).

## CAPUT XX.

### DE ECCLESIIS RECEPTITIIS, UBI DE BONORUM AD IPSAS, ET AD PAROCHIALES ECCLESIAS PERTINENTIUM ADMINISTRATIONE.

CXXVI. Quum ad Ecclesias receptitias, ex earum natura, et institutione, animarum cura pertineat, cumque iis addicti sacerdotes, etiam ex regiis sanctionibus (3), tamquam Parochorum adjutores habendi sint, præcipimus, et declaramus, ut in omnibus, quæ ad sacramentorum administrationem, et ad spiritualem animarum curam spectant, iidem sacerdotes Parochos adjuvare teneantur; et ideo quæ de Parochis, et de residentialibus ab Ecclesiasticis legibus, aut in hac Synodo statuta sunt, ipsis quoque congruere sciant.

CXXVII. Sacræ psalmodiæ, cui præcipue tenentur, inviolabiliter incumbant (4), ut peculiares laudes Deo persolve-

(1) Pastorale de' 22 ottobre 1824.

(2) Pag. 5.

(3) Apost. Constit. Pii PP. VII, cujus initium *Impensa*. Instruzioni del dì 18 novembre 1822.

(4) Si osservi la nostra Enciclica de' 30 gennajo 1824.

re curent, dum omnia quæ creata sunt mirificis modis eas suo creatori concinere non desinant. Attendant autem, ut hoc munus omni animi pietate, et devotione, omni modestia, et gravitate expleatur, ne iis aptari possit, quod Salvator noster de Hebræis ait: « Hipocritæ bene prophetavit de vobis Isaias » dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum » longe est a me (1) ».

CXXVIII. Quisque ideo in suo loco decenter sedeat, nec a choro, sine præfecti, vel primicerii licentia, discedat, rotunda, et clara voce cantet, integra verba proferre studeat, pausas diligenter observet, omniaque vitet, quæ oscitantiam, distractionem, et animi segnitiem præseferant; alioquin sui muneris debito minime satisfecisse putet. Namque ( ait Divus Thomas ) « illius Deus orationem non audit, cui qui oret non » attendat ». Ut denique hæc omnia rite observentur, Præfectorum, et punctatorum vigilantiam vehementer excitamus, eorum conscientias gravissime onerantes.

CXXIX. Cum ad normam novissimæ apostolicæ constitutionis, cujus initium *Impensa* (2), regaliumque sanctionum (3), Ecclesiarum receptitiarum portiones ad statum numerum, et ad titulos sacri patrimonii reducantur, statuimus, ut omnia quæ ab apostolica, regiaque auctoritate de hac re sancita sunt, rigide peragantur.

CXXX. Ut autem qui in sortem Domini vocati sunt, sacris sui ministerii muniis impigre vacare non cessent, ad laudatæ apostolicæ constitutionis præscriptum, declaramus, tam majores, quam minores portiones, nonnisi prævio diligenti exa-

(1) S. Matth. 15, 7, 8.

(2) Const. Pii PP. VII XIII. Aug. 1819. sup. cit.

(3) Citate Istruzioni del dì 18 novembre 1822.

mine, coram nobis, et tribus Synodalibus Examinatoribus habendo, provideri, semperque illos præferri, qui moribus, scientia, et diligentiori Ecclesiæ servitio, præsertimque christianæ Doctrinæ tradendæ studio, aliis anteire perspiciatur; nullamque illorum rationem haberi, qui sui muneris obliti, sibi, et Ecclesiæ inutiles vivunt.

CXXXI. Quum regulæ, quæ pro recto receptitiarum ordine statutæ erant, reformari nunc oporteat, ut novis pontificiis, regiisque sanctionibus, novoque regimini aptari possint, singulis ad quos spectat, iterum maudamus, ut infra quatuor menses novas nobis regulas proponere studeant, ut eas exeutere, deindeque regali approbationi submittere valeamus.

CXXXII. Archipresbyteri, parochi, aliique, quibus ecclesiasticarum rerum administratio commissa est, sedulo invigilent, ut suarum Ecclesiarum bona recte serventur, nullamque eorum alienationem, vel usurpationem patiantur; si quæ usurpata sint jure vindicare curent; rectamque prædiorum curam gerant, ut in meliorem semper conditionem redigi, eorumque reditus augeri possint.

CXXXIII. Ad diligentem autem administrationem scripturarum custodia apprime pertinet. Volumus ideo, ut in unaquaque Ecclesia receptitia, vel parochiali appositum habeatur tabularium, et si adhuc non extet, infra menses duos conficiatur, in quo inventaria vulgo *platee*, omnesque aliæ scripturæ ad eamdem Ecclesiam spectantes maxima vigilantia, nitore, et ordine serventur, nec alibi, nisi urgeat necessitas, transferantur. Hujusmodi porro tabularii custodiæ probatæ integritatis Sacerdos, quotannis eligendus, præficiatur, qui de omnibus sibi commissis scripturis strictam redditurus sit rationem.

CXXXIV. Creditorum denique securitati prospicientes,

singulis Ecclesiæ bonorum administratoribus injungimus, ut solliciti sint hypothecarias inscriptiones illico peragi, si hactenus neglectæ fuerint, et eas, ad normam civilium legum, in unoquoque decennio renovare; secus ad damnorum instaurationem compellentur, et Ecclesiasticis pœnis punientur.

## CAPUT XXI.

### DE PIORUM LOCORUM ADMINISTRATIONE.

CXXXV. Pro recta piorum locorum administratione, præcipimus Ecclesiasticis Deputatis, a nobis, regia auctoritate jubente, electis, ut in rationibus expendendis severam diligentiam adhibeant, omni humana consideratione posthabita, atque id præsertim dignoscant, an piis dispositionibus, et missarum celebrationi satisfactum sit, ne fundatorum, aliorumque disponentium mentes ullo modo defraudentur. Quod si hoc officium neglexerint, eorum conscientias gravissime oneramus (1).

## CAPUT XXII.

### DE CURIA.

CXXXVI. Ad normam ante habitarum hujus diœcesis synodorum, pro nostræ Abbatialis Curiæ, et Ecclesiasticæ jurisdictionis proventibus, innocentianam taxationem a reve-

---

(1) Veggasi il Real Decreto del dì 1 febbrajo 1826, e le Reali Istruzioni de' 20 maggio 1816. Art. 141, e 145.

rendissimo Abbate Domino Augelo Mancini Apostolico visitatore anno MDCCXLIV. nostro foro accomodatam, omnes, ad quos spectat, rigide observare teneantur, illamque assidue præ oculis habeant, nec quovis titulo, aut quæsito colore violare præsumant, sub pœnis nostro arbitrio infligendis, ut sæpissime inculcavimus, et appositis encyclicis admonuimus (1).

## CAPUT XXIII.

### DE SYNODALIBUS EXAMINATORIBUS, JUDICIBUS, ET TESTIBUS.

CXXXVII. Sacrosancti Tridentini Concilii legibus inhærentes, ut quod præscribitur examen in parochialium provisione, rite fieri possit, sequentes examinatores a nobis propositos, et a synodo per verbum *Placet* communi voto approbatos, eligimus, et deputamus.

Series examinatorum Synodalium.

Ex nostra Diœcesi.

Rmus. P. D. Aloysius M.ª Valentini Vicarius Generalis, ejusque successores in officio.

Admodum R. P. D. Raphael de Cæsare Definitor Capitularis, et S. T. lector.

Admodum R. P. D. Thomas de Fraja secretarius generalis, ejusque successores in officio.

Admodum R. P. D. Severinus Pironti novitiorum magister.

Admodum R. P. D. Michæl de Januario S. T. lector, Parochus, et Vicarius Foraneus Terranovæ Montis Virginis.

Admodum R. P. D. Aloysius Matina Sacrista Major sanctuarii Montis Virginis, Novitiorumque Magistri Socius.

---

(1) Pastorale de' 5 ottobre 1827.

Admodum R. P. D. Carolus Muscella S. T. P.

Admodum R. P. D. Placidus Stavolone Pro-Iconerius.

Admodum R. D. Januarius Magnotti Archipresbyter terræ Mercuriani.

Admodum R. D. Franciscus de Grezia Archipresbyter terræ Hospctaleti.

Admodum R. D. Mathias Longhi Archipresbyter S. Martini Montis Virginis.

Admodum R. D. Nicolaus Forino Œconomus Curatus casalis Vallis.

Admodum R. D. Modestinus de Vito Œconomus Curatus casalis Taurellorum.

R. D. Angelus Vecchiariello Sacerdos portionarius Ecclesiæ S. Petri terræ Mercuriani, et casuum conferentiæ Præfectus.

R. D. Modestinus Vecchiariello OEconomus præfatæ Ecclesiæ S. Petri, et Vicarius Foraneus.

R. D. Vincentius Napolitano Sacerdos portionarius prædictæ Ecclesiæ S. Petri.

R. D. Xaverius Zigarella Vicarius Foraneus, et Casuum Conferentiæ Præfectus casalis Vallis.

R. D. Carolus Capobianco Congregationis S. Petri a Cesarano.

R. D. Flavianus Iacenna casalis Vallis.

Ex Archidiœcesi Beneventana

Admodum Ill., ac R. Canonicus D. Joannes Pellci Auditor Emi Cardinalis, et Archiepiscopi Beneventani.

Admodum Ill., ac R. D. Hieronymus Acciaro Canonicus Metropolitanæ Ecclesiæ Beneventanæ.

Admodum R. D. Bernardinus Landolfi Archipresbyter Altævillæ.

Admodum R. D. Blasius Cafassi Canonicus Archipresbyter S. Georgii.

Admodum R. Canonicus D. Carolus del Re Archipresbyter Mancusi.

Ex Dioecesi Abellinensi.

Admodum R. D. Xaverius Sessa Canonicus Primicerius.

Admodum R. D. Carmelus Troisi Parochus Cathedralis Abellinensis.

Admodum R. D. Amabilis Ballarino Canonicus decanus.

Admodum R. D. Michael Adinolfi Parochus S. Mariæ Constantinopolitanæ.

Admodum R. D. Antonius Pretiosi Canonicus.

Admodum R. D. Aloysius Ricciardelli Parochus SS. Trinitatis.

Admodum R. D. Sabinus Archipresbyter Magliaro.

Ex Dioecesi Nolana.

Admodum R. D. Thomas Barba Parochus Abellæ

Admodum R. D. Dominicus Alfani Parochus Palmæ.

Ex Archidioecesi Salernitana

Admodum R. D. Carolus Grimaldi Canonicus Solofræ.

Admodum R. D. Ioannes Mazzei curatus Floreni.

Ex Dioecesi Puteolana.

Admodum R. D. Raphael Mancanelli Canonicus Archidiaconus.

Admodum R. D. Ferdinandus Monaco Canonicus Theologus.

Admodum R. D. Nicolaus Punzo Canonicus Pœnitentiarius.

Ex Dioecesi Sarnensi.

Admodum R. D. Aloysius de Crescentio Parochus S. Theodori Civitatis Sarnensis.

CXXXVIII. Expendant autem qui ad difficillimum hoc munus vocati sunt, qua scientia, et integritate eos præditos esse oporteat, ut illud rite explere valeant, et sic in officio suo se præbeant, ut a laudato Tridentino Concilio præscribi-

tur, utque animarum salus, et Ecclesiæ bonum requirere dignoscitur. Sciant insuper, ad ejusdem Tridentini Concilii præscriptum, eos ad sancta Evangelia jurare, munus suum fideliter fore executuros, quacumque humana affectione postposita, sicut huic nostræ Synodo præsentes Examinatores coram Nobis juraverunt.

CXXXIX. Judices porro Synodales sequentes probatæ integritatis viros eligimus — Archipresbyterum D. Januarium Magnotti — Archipresbyterum D. Franciscum de Grezia — OEconomum Curatum D. Nicolaum Forino — OEconomum Curatum D. Modestinum de Vito — Sacerdotem D. Angelum Vecchiariello.

CXL. Omnes denique Vicarios Foraneos, et Curatos Testes Synodales proclamamus.

## CAPUT XXIV.

### DE SYNODORUM ANTE HABITARUM CONFIRMATIONE.

CXLI. Diœcesanas Synodos a Prædecessoribus nostris sancte, et salubriter celebratas, pro ea tamen parte, qua hujus nostræ Synodi Constitutionibus non adversantur, confirmamus, novumque eis firmitatis robur adjicimus, et ab omnibus, ad quos spectat, observari mandamus. Bono autem conscientiarum consulentes, et ne eas facillime irretiri contingat, statuimus, ut censuræ in illis prolatæ, ad censuras ferendæ sententiæ reducantur: firmis tamen censuris omnibus a sacris canonibus, legibusque Ecclesiasticis prolatis, quæ ibi pro rerum opportunitate memorantur.

## CAPUT XXV.

### DE HUJUS SYNODI PUBLICATIONE, ET OBSERVANTIA, UBI DE VICARIIS FORANEIS.

CXLII. Cum ad legis substantiam ipsius legis promulgatio pertineat, nam nemo ad quod ignorat teneri potest, præscribimus, ut post Synodi impressionem, per binos menses, singulis diebus festis, ejusdem constitutiones in unaquaque Parochiali Ecclesia a Parochis, vel aliis idoneis sacerdotibus per ipsos Parochos eligendis, coram populo legantur, et vulgari idiomate explanentur, deindeque omnes ad earum observantiam rigide obstringantur.

CXLIII. Singuli autem cujuscumque gradus Ecclesiastici, post præfatam Synodi impressionem, ejusdem exemplar habere curent, Synodales constitutiones assidue perlegant, et meditentur, illarumque executioni sedulo incumbant.

CXLIV. In Synodalium constitutionum violatores Ecclesiasticis pœnis, ad normam sacrorum canonum, regiarumque sanctionum, et præsertim nuperrimæ sacræ conventionis inter Apostolicam sedem, et Ferdinandum I. utriusque Siciliæ regem initæ, animadvertemus (1). Præter autem canonicas pœnas per nos irrogandas, omnes, ad quos spectat, pro quacumque Synodalium constitutionum inobservantia, mortali culpa alligari intelligant.

CXLV. Quum vicarii foranei ad hoc specialiter instituti sint, ut pro recto rerum ordine, et Ecclesiasticarum legum observantia invigilent, ipsis præcipimus, ut suo muneri inde-

(1) Concordato de' 16 febbrajo 1818.

sinenter vacare studeant, diligenterque dignoscant, an hujus Synodi, præcedentiumque Diœcesis Synodorum, constitutiones, nec non sanctæ visitationis Decreta, aliæque Ecclesiasticæ leges ab omnibus observentur, et violatores ad nos deferant, ut opportunis monitionibus, atque cœrcitionibus ad rectam semitam revocentur.

*RAYMVNDVS MORALES ABBAS GENERALIS*
*ET ORDINARIVS MONTIS VIRGINIS.*

## ROGITUS ACTORUM.

Præsenti publico testimonio cunctis innotescat, quod anno Domini MDCCCXXIX, die vero X mensis martii in Terra Mercuriani, atque in Ecclesia sancto Modestino inscripta, præcipuo ejusdem Terræ Patrono, præsidente Illustrissimo, ac Rmo Patre D. Raymundo Morales Benedictinæ Virginianorum congregationis Abbate Generali, ac sacræ regiæque Ecclesiæ Montis virginis, ipsiusque nullius Diœcesis Ordinario, omnes Archipresbyteri, Parochi, Rectores animarum, Beneficiati, ac cæteri ejusdem Diœcesis Ecclesiastici, qui vel de jure, vel de consuetudine Diœcesanæ Synodo interesse tenentur, prius per edictum legitime convocati, ad Diœcesanam Synodum habendam summo mane convenerunt. Mox omnibus, quæ in Pontificali Romano præscribuntur, rite absolutis, ac fidei professione, juxta formam a Pio PP. IV. promulgatam, ab ipso Illustrissimo, ac Rmo Ordinario, cunctisque intervenienti-

bus Ecclesiasticis, emissa, idem Ordinarius congregatos sacerdotes graviter alloquutus est, ut in capite I. de Synodi inchoatione, deindeque Synodum inchoatam esse promulgavit, et decrevit. Postea instante Synodi Promotore, Synodales Constitutiones fuerunt a Secretario e suggesto lectæ, omnibus audientibus, et intelligentibus: qua lectione expedita, cuncti cum plausu eisdem constitutionibus adstipulati sunt. Denique publicato per eumdem Secretarium Decreto de Synodi dimissione, Illustrissimus, ac Rmus Præsul cunctis suam benedictionem impertitus est, et pro gratiarum actione persolutus fuit Hymnus *Te Deum laudamus*, una cum precibus, orationibus, acclamationibus, et Cæremoniis in Pontificali Romano præscriptis, et sic Synodus dimissa fuit eodem die X mensis martii, quo fuerat inchoata.

De quibus omnibus, et singulis, ego P. D. Thomas de Fraja dictæ Synodi Secretarius specialiter electus, per Synodi Promotorem rogatus, præsens publicum actum confeci, publicavi, et subscripsi, adhibitis pro testibus U. J. D. Domino Florentino Zigarelli, U. J. D. Domino Michæle Santangelo, U. J. D. Domino Xaverio Bianco, et Doctore Physico Domino Modestino Crisci. Et ad fidem,

Ego P. D. Thomas de Fraja Synodi secretarius.

MINISTERO, E REAL SEGRETERIA DI STATO

DEGLI AFFARI ECCLESIASTICI

2.° RIPARTIMENTO

N.° 1002.

---

*Ho rassegnato a S. M. gli Atti del Sinodo Diocesano, convocato da V. P. Revma nella Chiesa Collegiata di Mercogliano il dì 10 marzo del corrente anno, di cui Ella ha rimesso copia a questo Real Ministero di Stato degli Affari Ecclesiastici.*

*E la M. S. nel Cònsiglio Ordinario di Stato del giorno 12 del corrente mese si è degnata di permettere la pubblicazione degli atti medesimi, salvo ciò che potessero contenere di lesivo alla Reale Giurisdizione, ed alle Supreme Regalie tanto il detto Sinodo, che gli altri antichi, e l' encicliche, che si accennano, e si chiamano in osservanza.*

*Nel Real Nome partecipo a V. P. Revma questa Sovrana determinazione per sua intelligenza e regolamento*

*Napoli 17 Giugno 1829.*

*IL MARCHESE TOMMASI*

*REVERENDISSIMO PADRE*

*Coll' ultima posta Vostra Paternità Rma ha dovuto ricevere il Sovrano Rescritto, che le permette la pubblicazione degli atti del Sinodo diocesano convocato per cotesta sua Diocesi, de' quali mi rimise copia con rapporto de' 28 del trascorso marzo. Mi do l' onore di passarle a notizia, che nel rassegnare a S. M. i divisati atti, non ho mancato di rilevare alla M. S. i pregi di un opera così saggiamente adempiuta, e che merita di servire di esemplare per l' adempimento di un obbligazione pastorale del più alto momento. E mi compiaccio di particolarmente attestarle, che nel leggere gli atti medesimi non ho potuto che ammirare con quanta avvedutezza, prudenza, ed Apostolico zelo, Ella ha saputo corrispondere al fine che si propone la Chiesa coll' inculcare a' sagri Pastori la periodica celebrazione de' Sinodi Episcopali.*

*Mi resta ora a pregarla di rimettermi per uso del Real Ministero di mio carico, un buon numero di esemplari di detti atti, tostoche saran dati alle stampe, e di gradire i sentimenti della mia considerazione.*

*Di Vostra Paternità Revma.*

*Napoli 20 giugno 1829.*

*Sua Paternità Rma.*
*L' Ordinario Abate di*
*Montevergine*

*Divmo. Obbmo. Serv.*
*IL MARCHESE TOMMASI*

# APPENDIX I.

## SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA PAPAE XII

## LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS SECTAE OCCULTAE ET CLANDESTINAE DAMNANTUR.

( Pertinent ad caput III De Fidei professione num. VIII )

*Leo episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Quo graviora mala Christi Dei, et Servatoris Nostri Gregi imminent, eo majorem sollicitudinem in iis arcendis adhibere debent Romani Pontifices, quibus in Beato Petro Apostolorum Principe illius pascendi, et regendi potestas, et cura commissa est. Pertinet enim ad eos, quippe qui in suprema Ecclesiæ specula positi sint, longius prospicere insidias, quas Christiani Nominis hostes moliuntur ad Christi Ecclesiam ( quod tamen nunquam assequentur ) exterminandam, easque tum Fidelibus indicare, et aperire, ut ab iis caveant, tum auctoritate sua avertere, et amoliri. Gravissimum hoc munus sibi impositum intelligentes Romani Pontifices Prædecessores Nostri vigilias Boni Pastoris perpetuo vigilarunt, et adhortationibus, doctrinis, decretis, ipsaque anima data pro ovibus suis, sectas extremum Ecclesiæ exitium minitantes prohibendas, et penitus delendas curarunt. Nec ex Annalium Ecclesiasticorum vetustate tantum erui potest Pontificiæ hujus sollicitudinis memoria. Quæ Nostra, et Patrum Nostrorum ætate gesta sunt a Romanis Pontificibus, ut clandestinis hominum adversus Christum malignantium sectis se se objicerent, id perspicue evincunt. Ubi enim Clemens XII. Prædecessor Noster vidit in dies invalescere, novamque firmitatem acquirere sectam* de' Liberi Muratori, *sive* des Francs Maçons, *sive aliter appellatam, quam non modo suspectam, verum etiam omnino Catholicæ Ecclesiæ inimicam multis argumentis cer-*

8

*to noverat, eam damnavit luculenta Constitutione, cui initium* In Eminenti, *edita Quarto Kalendas Majas Anno* 1738, *cujus tenor is est, qui subjicitur.*

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei — Universis Christifidelibus salutem et Apostolicam Benedictionem — In eminenti Apostolatus specula, meritis licet imparibus, divina disponente clementia, constituti, juxta creditum Nobis Pastoralis providentiæ debitum jugi ( quantum ex alto conceditur ) sollicitudinis studio iis intendimus, per quæ erroribus vitiisque aditu intercluso, Orthodoxæ Religionis potissimum servetur integritas, atque ab Universo Catholico Orbe difficillimis hisce temporibus perturbationum pericula propellantur.

Sane, vel ipso rumore publico nunciante, Nobis innotuit longe lateque progredi, atque in dies invalescere nonnullas Societates, Cœtus, Conventus, Collectiones, Aggregationes, seu Conventicula vulgo de' *Liberi Muratori*, seu *Francs Maçons*, aut alia quavis nomenclatura pro idiomatum varietate nuncupata, in quibus cujuscumque Religionis et Sectæ homines affectata quadam contenti honestatis naturalis specie, arcto æque ac impervio fœdere secundum leges, et statuta sibi condita invicem consociantur, quæque simul clam operantur tum districto jurejurando ad Sacra Biblia interposito, tum gravium pœnarum exaggeratione inviolabili silentio obtegere adstringuntur.

Verum cum ea sit sceleris natura, ut se ipsum prodat, et clamorem edat sui indicem, hine Societates, seu Conventicula prædicta vehementem adeo fidelium mentibus suspicionem ingesserunt, ut iisdem Aggregationibus nomen dare apud prudentes et probos idem omnino sit, ac pravitatis et perversionis notam incurrere; nisi enim male agerent, tantò nequaquam odio lucem haberent. Qui quidem rumor eo usque percrebuit, ut plurimis Regionibus memoratæ Societates per sæculi Potestates tanquam Regnorum securitati adversantes proscriptæ, ac provide eliminatæ jampridem extiterint.

Nos itaque animo volventes gravissima damna, quæ ut plurimum ex hujusmodi Societatibus, seu Conventiculis, nedum temporalis Reipublicæ tranquillitati, verum etiam spirituali Animarum saluti inferuntur; atque idcirco tum Civilibus tum Canonicis minime cohærere sanctionibus, cum divino eloquio doceamur diu noctuque more servi fidelis, et prudentis Dominicæ Familiæ præpositi, vigilandum esse, ne hujusmodi Hominum genus veluti fures domum perfodiant, atque instar vulpium vineam demoliri nitantur, ne videlicet simplicium corda pervertant, atque innoxios sagittent in occultis; ad latissimam, quæ iniquitatibus impune pa-

trandis inde aperiri posset, viam obstruendam, aliisque de justis ac rationabilibus causis Nobis notis easdem Societates, Cœtus, Conventus, Collectiones, Aggregationes, seu Conventicula *de' Liberi Muratori*, seu *Francs Maçons*, aut alio quocumque nomine appellata, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, ac etiam Motu proprio, et ex Apostolicæ potestatis plenitudine damnanda, et prohibenda esse statuimus, et decrevimus, prout præsenti Nostra perpetuo valitura Constitutione damnamus et prohibemus.

Quocirca omnibus et singulis Christifidelibus cujuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, et præeminentiæ sive Laicis, sive Clericis, tam Sæcularibus, quam Regularibus, etiam specifica et individua mentione et expressione dignis, districte, et in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ne quis sub quovis prætextu, aut quæsito colore audeat vel præsumat prædictas Societates *de' Liberi Muratori*, seu *Francs Maçons*, aut alias nuncupatas inire, vel propagare, confovere, ac in suis ædibus, vel domibus, seu alibi receptare atque occultare, iis adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem seu commoditatem facere, ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, sive alias consilium, auxilium, vel favorem palam, aut in occulto directe vel indirecte, per se, vel per alios quoquomodo præstare, nec non alios hortari, inducere, provocare, aut suadere, ut hujusmodi Societatibus adscribantur, annumerentur, seu intersint, vel ipsas quomodolibet juvent ac foveant, sed omnino ab iisdem Societatibus, Cœtibus, Conventibus, Collectionibus, Aggregationibus seu Conventiculis prorsus abstinere se debeat sub pœna Excommunicationis, per omnes ut supra contrafacientes ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per Nos seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, præterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

Volumus insuper, et mandamus, ut tam Episcopi et Prælati, Superiores, aliique Locorum Ordinarii, quam hæreticæ pravitatis ubique Locorum deputati Inquisitores adversus transgressores cujuscumque sint gradus, status, conditionis, ordinis, dignitatis, vel præeminentiæ, procedant et inquirant, eosque tanquam de hæresi vehementer suspectos condignis pœnis puniant atque coerceant; iis enim, et eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi, et inquirendi, ac condignis pœnis coercendi et puniendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, liberam facultatem tribuimus et impertimur.

Volumus autem, quod earumdem præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Per-

sonæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus Literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, et interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Septingentesimo Trigesimo Octavo Quarto Kalendas Maji Pontificatus Nostri Anno Octavo.

*Hæc tamen recolendæ Memoriæ Benedicto XIV. itidem Prædecessori Nostro satis non fuerunt. Percrebuerat enim sermonibus permultorum, latam in Clementis dudum mortui literis Excommunicationis pœnam jam evanuisse, quod Benedictus eas Literas diserte non confirmasset. Erat profecto absurdum contendere superiorum Pontificum leges obsolescere, nisi a Successoribus expressè approbentur, et præterea manifeste patebat a Benedicto sæpius Clementis Constitutionem ratam habitam fuisse. Attamen hanc etiam cavillationem de Sectariorum manibus extorquendam judicavit Benedictus edita nova Constitutione, cujus initium —* Providas — *XV. Kalendas Aprilis Anno Millesimo Septingentesimo quinquagesimo primo, qua Clementis Constitutionem totidem verbis relatam in forma, ut ajunt, specifica, quæ omnium amplissima, et efficacissima habetur, confirmavit. Talis vero est Benedicti Constitutio.*

Benedictus Episcopus Servus Servorum Dei — Ad perpetuam Rei memoriam — Providas Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum leges, atque sanctiones, non solum eas, quarum vigorem vel temporum lapsu vel hominum neglectu labefactari aut extingui posse veremur, sed eas etiam quæ recentem vim, plenumque obtinent robur, justis gravibusque id exigentibus causis, novo Auctoritatis Nostræ munimine roborandas confirmandasque censemus.

Sane felicis recordationis Prædecessor Noster Clemens PP. XII. per suas Apostolicas Litteras Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Septingentesimo Trigesimo Octavo quarto Kalendas Majas Pontificatus sui Anno Octavo datas, et Universis Christifidelibus inscriptas, quarum initium est *In Eminenti* nonnullas Societates, Cœtus, Conventus, Collectiones, Conventicula, seu Aggregationes vulgo *de' Liberi Muratori*, seu *des Francs-Maçons*, vel aliter nuncupatas in quibusdam regionibus tunc late diffusas, atque in dies invalescentes perpetuo damnavit atque prohibuit; præcipiens omnibus, et singulis Christifidelibus sub pœna Excommunicationis

ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per alium, quam per Romanum Pontificem pro tempore existentem, excepto mortis articulo, absolvi posset, nequis auderet vel præsumeret hujusmodi Societates inire, vel propagare, aut confovere, receptare, occultare, iisque adscribi, aggregari, aut interesse, aut alias, prout in eisdem Literis latius et uberius continetur, quarum tenor talis est, videlicet etc. etc. etc.

Cum autem, sicut accepimus, aliqui fuerint, qui asserere, ac vulgo jactare non dubitaverint dictam Excommunicationis pœnam a Prædecessore Nostro, ut præfertur, impositam non amplius afficere, propterea quod ipsa præinserta Constitutio a Nobis confirmata non fuerit, quasi vero pro Apostolicarum Constitutionum a Prædecessore editarum subsistentia Pontificis Successoris expressa confirmatio requiratur.

Cumque etiam a nonnullis piis, ac Deum timentibus viris Nobis insinuatum fuerit ad omnia calumniantium subterfugia tollenda, declarandamque animi Nostri cum ejusdem Prædecessoris mente ac voluntate uniformitatem magnopere expediens fore, ut ejusdem Prædecessoris Constitutioni novum confirmationis Nostræ suffragium adjungeremus.

Nos licet hucusque dum pluribus Christifidelibus de violatis ejusdem Constitutionis legibus vere pœnitentibus atque dolentibus, seque a damnatis hujusmodi Societatibus, seu Conventiculis omnino recessuros, et nunquam in posterum ad illas et illa redituros ex animo profitentibus absolutionem ab incursa Excommunicatione tum antea sæpe, tum maxime elapso Jubilæi Anno benigne concessimus, seu dum facultatem Pœnitentiariis a Nobis deputatis communicavimus, ut hujusmodi pœnitentibus, qui ad ipsos confugerent, eamdem absolutionem Nostro nomine, et auctoritate impertiri valerent, dum etiam sollicito vigilantiæ studio instare non prætermisimus, ut a competentibus Judicibus et Tribunalibus adversus ejusdem Constitutionis violatores pro delicti mensura procederetur, quod et ab eis reipsa sæpe præstitum fuit, non quidem probabilia dumtaxat, sed plane evidentia et indubitata argumenta dederimus, ex quibus animi Nostri sensus, ac firma et deliberata voluntas quoad censuræ per dictum Clementem Prædecessorem, ut præfertur, impositæ vigorem et subsistentiam satis aperte inferri debuerant; siquæ autem contraria de Nobis opinio circumferretur, Nos eam securi contemnere possemus, causamque Nostram justo Dei Omnipotentis judicio relinquere, ea verba usurpantes, quæ olim inter sacras Actiones recitata fuisse constat: *Præsta, quæsumus Domine, ut mentium reprobarum non curemus obloquium, sed eadem pravitate calcata exoramus, ut nec terreri nos lacerationibus patiaris in-*

*justis, nec captiosis adulationibus implicari, sed potius amare, quod præcipis:* ut habet antiquum Missale, quod Sancto Gelasio Prædecessori Nostro tribuitur, et a Venerabili Servo Dei Josepho Maria Cardinali Thomasio editum fuit in Missa, quæ inscribitur *contra obloquentes.*

Ne tamen aliquid per Nos improvide prætermissum dici valeret, quo facile possemus mendatibus calumniis fomentum adimere, atque os obstruere, audito prius nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, eamdem Prædecessoris Nostri Constitutionem præsentibus, ut supra, de verbo ad verbum insertam in forma specifica, quæ omnium amplissima et efficacissima habetur, confirmare decrevimus; prout eam ex certa scientia, et Apostolicæ Auctoritatis Nostræ plenitudine earumdem præsentium Literarum tenore in omnibus, et per omnia, perinde ac si Nostris Motu proprio, Auctoritate, ac Nomine primum editæ fuissent, confirmamus, roboramus; et innovamus, ac perpetuam vim et efficaciam habere volumus et decernimus.

Porro inter gravissimas præfatæ prohibitionis et damnationis causas in præinserta Constitutione enunciatas una est, quod in hujusmodi Societatibus et Conventiculis cujuscumque Religionis, ac Sectæ homines invicem consociantur, qua ex re satis patet, quam magna perniciés Catholicæ Religionis puritati inferri valeat. Altera est arctum et impervium secreti fœdus, quo occultantur ea, quæ in hujusmodi Conventiculis fiunt, quibus proinde ea sententia merito aptari potest, quam Cæcilius Natalis apud Minucium Felicem in causa nimirum diversa protulit: *Honesta semper publico gaudent, scelera secreta sunt.* Tertia est jusjurandum, quo se hujusmodi secreto inviolabiliter servando adstringunt, quasi liceat alicui cujuslibet promissionis aut juramenti obtentu se tueri, quominus a legitima potestate interrogatus omnia fateri teneatur, quæcumque exquiruntur ad dignoscendum, an aliquid in hujusmodi Conventibus fiat quod sit contra Religionis, aut Reipublicæ statum, et leges. Quarta est, quod hujusmodi Societates non minus civilibus, quam canonicis sanctionibus adversari dignoscuntur, quum scilicet jure civili omnia Collegia, et Sodalitia præter publicam auctoritatem consociata prohibeantur, ut videre est in Pandectarum libro XLVII. Tit. 22 *de Collegiis, ac Corporibus illicitis*, et in celebri Epistola C. Plinii Cæcilii Secundi, quæ est XCVII. Lib. X. in qua ait edicto suo secundum Imperatoris mandata vetitum fuisse, ne Hetæriæ essent, idest ne Societates et Conventus sine Principis auctoritate iniri et haberi possent. Quinta est, quod jam in pluribus Regionibus memoratæ Societates, et Aggregationes Sæcularium Principum legibus proscriptæ, atque eliminatæ fuerunt. Ul-

tima demum, quod apud prudentes et probos viros eædem Societates et Aggregationes male audirent, eorumque judicio quicumque eisdem nomina darent, pravitatis et perversionis notam incurrerent.

Denique idem Prædecessor in præinserta Constitutione Episcopos, et Superiores Prælatos, aliosque Locorum Ordinarios excitat, ut pro illius exequutione, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilium invocare non prætermittant.

Quæ omnia et singula non solum a Nobis approbantur, et confirmantur, eisdemque Ecclesiasticis Superioribus respective commendantur et injunguntur, verum etiam Nos ipsi pro Apostolicæ sollicitudinis Officio præsentibus Nostris Literis Catholicorum Principum, omniumque Sæcularium Potestatum opem et auxilium quoad præmissorum effectum invocamus, et enixo studio requirimus, quum ipsi supremi Principes et Potestates electi sint a Deo Defensores fidei, Ecclesiæque Protectores, ideoque eorum munus sit idoneis quibusque rationibus efficere, ut Apostolicis Constitutionibus debitum obsequium, et omnimoda observantia præstetur, quod iis in memoriam revocarunt Trident. Synodi Patres *Sess.* 25. Cap. 20., multoque antea egregie declaraverat Imperator Carolus Magnus suorum Capitularium *Tit. I. Cap.* 2., ubi post demandatam omnibus sibi subditis Ecclesiasticarum sanctionum observantiam hæc addidit: *Nam nullo pacto agnoscere possumus qualiter Nobis fideles existere possunt, qui Deo infideles, et suis Sacerdotibus inobedientes apparuerint.* Quapropter cunctis Ditionum suarum Præsidibus, et Ministris injungens, ut omnes, et singulos ad debitam obedientiam Ecclesiæ legibus exhibendam omnino compellerent, gravissimas quoque pœnas adversus eos indixit, qui hoc præstare negligerent, subdens inter alia: *Qui autem in his (quod absit) aut negligentes eisque inobedientes fuerint inventi, sciant se nec in Nostro Imperio honores retinere, licet etiam filii Nostri fuerint, nec in Palatio locum, neque Nobiscum, aut cum Nostris Societatem aut Communitatem ullam habere, sed magis sub districtione et ariditate pœnas luent.*

Volumus autem, ut earumdem præsentium Transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, innovationis, approbationis, commissionis, invocationis, requisitionis decreti et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quinquagesimo primo decimo quinto kalendas Aprilis Pontificatus nostri anno undecimo. »

*Utinam qui rerum tunc potiebantur, tanti hæc decreta fecissent, quanti tum Ecclesiæ, tum Reipublicæ salus postulabat. Utinam sibi persuasissent in Romanis Pontificibus Beati Petri Successoribus, non modo Ecclesiæ universæ Pastores, et Magistros, sed etiam strenuos eorum dignitatis defensores, et diligentissimos periculorum quæ imminent indices suspicere se debere. Utinam potestate illa sua usi essent ad sectas convellendas, quarum pestifera consilia iis a Sede Apostolica fuerant patefacta. Jam ab eo tempore rem plane confecissent. At cum, sive sectariorum fraude res suas callide occultantium, sive imprudentibus nonnullorum suasionibus, causam hanc negligendam vel saltem levissime tractandam judicaverint, ex veteribus illis Massonicis sectis, quæ nunquam friguerunt, aliæ complures exortæ sunt multo illis deteriores et audaciores. Has omnes veluti sinu suo complecti visa est Carbonariorum secta, quæ ceterarum princeps in Italia, aliisque nonnullis in regionibus habebatur, et in varios veluti ramos divisa, nomine tenus diversos, acerrime Catholicam Religionem, et Supremam quamque civilem legitimam potestatem impugnandum suscepit. Qua calamitate ut Italiam, aliasque regiones, imo et ipsam Pontificiam ditionem (in quam, impedito tantisper Pontificio Regimine, illa irrepserat una cum exteris hominibus ejus invasoribus) liberaret felicis recordationis Pius Septimus, cui Nos suffecti sumus, Carbonariorum sectam, quocumque tandem nomine pro locorum, idiomatum, et hominum diversitate appellaretur, gravissimis pœnis damnavit, edita Idibus Septembribus anno millesimo octingentesimo vigesimo primo Constitutione, cujus initium —* Ecclesiam a Jesu Christo. — *Hujus etiam exemplum Nostris hisce literis inserendum esse censuimus, quod est ejusmodi.*

Pius Episcopus Servus Servorum Dei — ad perpetuam rei memoriam. — Ecclesiam a Jesu Christo Servatore nostro supra firmam petram fundatam, et adversus quam ipsemet Christus promisit nunquam portas inferi prævalituras, tot sæpe ac tam formidolosi hostes aggressi sunt, ut nisi divina illa, et quæ transire non potest promissio intercessisset, metuendum videretur, ne ipsa illorum aut *vi*, aut artibus, aut calliditate circumventa penitus interiret. Quod vero superioribus temporibus evenit, id etiam et præcipue quidem luctuosa hac nostra ætate factum est, quæ novissimum illud tempus esse videtur tanto ante ab Apostolis prænunciatum, quo (*In Epist. B. Judæ Ap. V. 18.*) *venient illusores secundum desideria sua ambulantes*

*in impietatibus.* Nec enim quemquam latet, quanta scelestorum hominum multitudo difficillimis hisce temporibus convenerit in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus, qui id præcipue curant, ut deceptis per philosophiam et inanem fallaciam (*Coloss. Cap.* 2. *V.* 8.) fidelibus, et ab Ecclesiæ doctrina avulsis, ipsam Ecclesiam irrito licet conatu labefactent, et evertant. Quod ut facilius assequerentur, eorum plerique occultos cœtus, clandestinasque sectas coegerunt, ex quibus futurum sperabant ut plurimos in suæ conjurationis, et sceleris societatem liberius pertraherent.

Jampridem Sancta hæc Sedes, his sectis detectis, magna liberaque voce contra eas clamavit, et consilia, quæ clam ab iis essent inita contra Religionem, imo et contra civilem Societatem, patefecit. Jampridem omnium excitavit diligentiam, ut caverent, ne his sectis id conari liceret, quod nefarie meditabantur. Verum dolendum est his Sedis Apostolicæ studiis non eum exitum respondisse, quem ipsa spectabat, et scelestos homines nunquam a suscepto consilio destitisse, unde consequuta tandem ea mala sunt, quæ nosmetipsi perspeximus: imo homines, quorum superbia ascendit semper, novas etiam secretas Societates inire ausi sunt.

Commemorari hoc loco debet Societas nuper orta, et longe lateque in Italia, aliisque in regionibus propagata, quæ licet in plures sectas divisa sit, ac pro earum varietate diversa ac distincta inter se nomina aliquando assumat, re tamen sententiarum, et facinorum communione, et fœdere quodam inito una est, et Carbonariorum plerumque solet appellari. Simulant illi quidem singularem observantiam, et mirificum quoddam studium in Catholicam Religionem, et in Jesu Christi Servatoris nostri personam et doctrinam, quem etiam societatis suæ rectorem, et magnum magistrum nefarie aliquando audent appellare. Verum sermones hi, qui super oleum molliti videntur, nihil aliud sunt, quam jacula ad tutius vulnerandos minus cautos a callidis hominibus adhibita, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

Sane severissimum illud jusjurandum, quo veteres Priscillianistas magna ex parte imitantes pollicentur, se nullo unquam tempore nullove casu vel patefacturos hominibus in Societatem non adscriptis quidquam, quod eam Societatem respiciat, vel communicaturos cum iis, qui in gradibus inferioribus versantur aliquid, quod ad gradus pertineat superiores, clandestina illa præterea et illegitima conventicula, quæ more a pluribus Hæreticis usurpato ipsi habent, et cooptatio hominum cujuscumque Religionis et sectæ in suam Societatem, etsi cetera deessent, satis persuadent nullam memoratis eorum dictis fidem haberi oportere.

Verum conjecturis et argumentis opus non est, ut ita de eo-

rum dictis judicetur, quemadmodum superius indicatum est. Libri ab ipsis typis editi, quibus ratio describitur, quæ in Conventibus superiorum præsertim graduum adhiberi solet; eorum Catechismi, et statuta, aliaque authentica, et ad fidem faciendam gravissima documenta, nec non eorum testimonia, qui cum eam Societatem deseruissent, cui antea adhæserant, ejus errores et fraudes legitimis judicibus, patefecerunt, aperte declarant, Carbonarios id præcipue spectare, ut magnam licentiam cuique dent, Religionem, quam colat, proprio ingenio, et ex suis opinionibus sibi fingendi, indifferentia in Religionem inducta, qua vix quidquam excogitari potest perniciosius, et Jesu Christi passionem per nefarias quasdam suas cæremonias profanent, ac polluant, ut Ecclesiæ Sacramenta (quibus nova alia a se per summum scelus inventa substituere videntur), et ipsa Religionis Catholicæ Mysteria contemnant, utque Sedem hanc Apostolicam evertant, in quam, quoniam in ea Apostolicæ Cathedræ semper viguit Principatus (*S. Aug. Epist.* 43.) singulari quodam odio afficiuntur, et pestifera quæque ac perniciosa moliuntur.

Nec minus, ut ex iisdem constat monumentis, scelesta sunt, quæ Carbonariorum Societas tradit de moribus præcepta, quamvis confidenter jactet se a suis Sectatoribus exigere, ut caritatem ac omne virtutum genus excolant, et exerceant, ac diligentissime ab omni vitio abstineant. Itaque libidinosis voluptatibus impudentissime ea favet; docet licere eos interficere, qui datam de secreto, quod superius memoratum est, fidem non servaverint; et licet Apostolorum Princeps Petrus præcipiat, ut Cristiani (*Ep.* 1. *Cap.* 2. *Ver.* 13.) *omni humanæ creaturæ propter Deum subjecti sint, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tamquam ab eo missis* etc., jubeatque Paulus Apostolus, (*Rom. Cap.* 13. *V.* 1.) ut *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit;* ea tamen Societas docet integrum esse, seditionibus excitatis, reges ceterosque imperantes, quos per summam injuriam tyrannos passim appellare audet, sua potestate expoliare.

Hæc, aliaque hujus Societatis dogmata, et præcepta sunt, ex quibus ea extiterunt in Italia facinora nuper a Carbonariis commissa, quæ adeo gravem honestis, piisque hominibus mœrorem attulerunt. Nos igitur, qui speculatores domus Israel, quæ est sancta Ecclesia, constituti sumus, et qui pro pastorali nostro munere cavere debemus, ne Dominicus Grex nobis divinitus creditus ullum damnum patiatur, existimamus in causa tam gravi non posse ab impuris horum hominum conatibus cohibendis abstinere. Exemplo etiam commovemur felicis recordationis Clementis XII, et Benedicti XIV Prædecessorum nostrorum, quorum alter quarto ka

lendas majas anni millesimi octavi Constitutione — *In eminenti* — alter decimo quinto kalendas aprilis anni millesimi septingentesimi quinquagesimi primi Constitutione — *Providas* — damnarunt, et prohibuerunt Societates *dei liberi Muratori*, seu *Francs-Maçons*, aut alio quocumque nomine pro regionum, et idiomatum varietate appellatas, quarum Societatum fortasse propago, vel certe imitatio hæc Carbonariorum societas existimanda est. Et quamvis jam duobus Edictis per Nostram Status Secretariam propositis hanc Societatem graviter Nos prohibuerimus, memoratos tamen Prædecessores Nostros sequentes, graves pœnas in hanc Societatem solemniori quidem ratione decernendas putamus, præsertim cum Carbonarii passim contendant, se duabus illis Clementis XII, et Benedicti XIV Constitutionibus non comprehendi, nec sententiis, et poenis in illis latis subjici.

Audita igitur selecta congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, et de ejus consilio, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine prædictam Societatem Carbonariorum, aut alio quocumque nomine appellatam, ejus Cœtus, Conventus, Collectiones, Aggregationes, Conventicula damnanda, et prohibenda esse statuimus et decrevimus, prout præsenti Nostra perpetuo valitura Constitutione damnamus, et prohibemus.

Quocirca omnibus et singulis Christifidelibus cujuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, ac præeminentiæ sive clericis tam sæcularibus, quam regularibus etiam specifica, et individua mentione, et expressione dignis districte et in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ne quis sub quovis prætextu, aut quæsito colore audeat, vel præsumat prædictam Societatem Carbonariorum, aut alias nuncupatam inire, vel propagare, confovere, ac in suis ædibus, seu domibus, vel alibi receptare, atque occultare, illi, et cuicumque ejus gradui adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem, seu commoditatem facere, ut alicubi convocetur, eidem aliquid ministrare, seu alias consilium, auxilium, vel favorem palam, aut in occulto directe, vel indirecte, per se, vel per alios quoquomodo præstare, nec non alios hortari, inducere, provocare, ac suadere, ut hujusmodi Societati, aut cuicumque ejusdem gradui adscribantur, annumerentur, aut intersint, vel ipsam quomodolibet juvent ac foveant, sed omnino ab eadem Societate, ejusque Cœtibus, Conventibus, Aggregationibus seu Conventiculis prorsus abstinere se debeat sub pœna excommunicationis per omnes ut supra contrafacientes, ipso facto, absque ulla declaratione incurrenda, a quo nemo per quemquam, nisi per Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, præterquam in ar-

ticulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

Præcipimus præterea omnibus sub eadem excommunicationis pœna Nobis, et Romanis Pontificibus successoribus Nostris reservata, ut teneantur denunciare Episcopis, vel ceteris ad quos spectat, eos omnes, quos noverint huic Societati nomen dedisse, vel aliquo ex iis criminibus, quæ commemorata sunt, se inquinasse.

Postremo, ut omne erroris periculum efficacius arceatur, damnamus, et proscribimus omnes Carbonariorum, ut ajunt, catechismos et libros, quibus a Carbonariis describuntur, quæ in eorum conventibus geri solent, eorum etiam Statuta, Codices, ac libros omnes ad eorum defensionem exaratos, sive typis editos, sive manuscriptos, et quibuscumque fidelibus sub eadem pœna majoris excommunicationis eodem modo reservatæ prohibemus memoratos libros, vel eorum aliquem legere, aut retinere, ac mandamus, ut illos vel locorum Ordinariis, vel aliis, ad quos eosdem recipiendi jus pertinet, omnino tradant.

Volumus autem quod præsentium literarum nostrarum transumptis etiam impressis, manu alicujus notarii pubblici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus Literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ declarationis, mandati, prohibitionis, et interdictionis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo octingentesimo vigesimo primo, idibus Septembris, Pontificatus nostri anno vigesimo secundo.

*Non multo post editam hanc a Pio VII. Constitutionem ad supremam Beati Petri Cathedram nullis Nostris meritis evecti Nos fuimus; et continuo omnem Nostram operam convertimus ad detegendum, quis esset clandestinarum sectarum status, quis numerus, quæ potentia. Hæc inquirentes facile intelleximus crevisse illarum insolentiam, præcipue ob earum multitudinem novis sectis auctam. Ex quibus ea presertim memoranda est, quæ* — Universitaria — *dicitur, quod sedem et domicilium in pluribus studiorum Universitatibus habeat, in quibus Juvenes a nonnullis Magistris, qui eos non docere, sed pervertere student, ejusdem mysteriis, quæ iniquitatis mysteria verissime appellari debent, initiantur, et ad omne scelus informantur.*

*Inde vero existit, quod tanto etiam post tempore, quo primum perduellionis faces in Europa a sectis clandestinis per con-*

*sectaneos suos inflammatæ, et elatæ sunt, et post reportatas a potentissimis Europæ Principibus præclarissimas victorias, quibus illæ comprimendæ sperabantur, nondum tamen nefarii earum conatus finem habuerunt. In illis enim ipsis regionibus, in quibus pristinæ tempestates conquievisse videntur, qui metus est novarum turbarum, et seditionum, quas illæ sectæ perpetuo moliuntur? Quæ impiarum formido sicarum, quas in eorum corporibus clam defigunt, quos ad mortem designarunt? Quot, et quam gravia non raro decernere vel inviti coguntur, qui iisdem cum potestate præsunt, ut publicam tranquillitatem tueantur?*

*Inde etiam existunt acerbissimæ calamitates, quibus Ecclesia fere ubique vexatur, et quas sine dolore, imo sine mærore commemorare non possumus. Impugnantur impudentissime sanctissima ejus dogmata, et præcepta; ejus dignitas extenuatur; et pax illa, et felicitas, qua suo quodam jure frui deberet, non perturbatur modo, sed omnino evertitur.*

*Nec putandum est, omnia hæc mala, aliaque, quæ prætermissa a Nobis sunt, clandestinis his sectis perperam, et per calumniam adscribi. Libri, quos de Religione, et Republica scribere non dubitarunt, qui his sectis nomen dederunt, quibus dominationem spernunt, majestatem blasphemant, Christum autem vel scandalum, vel stultitiam dictitant; imo non raro nullum esse Deum, et hominis animam una cum corpore interire docent; Codices et Statuta, quibus sua consilia, et instituta explicant, aperte declarant cuncta, quæ jam memoravimus, et quæ ad legitimos Principatus labefactandos, et Ecclesiam funditus delendam spectant, ab iis proficisci. Atque hoc veluti certum, exploratumque habendum est, has sectas licet nomine diversas, nefario tamen impurissimorum consiliorum vinculo esse inter se conjunctas.*

*Quæ cum ita sint, Nos muneris Nostri esse censemus iterum clandestinas has sectas condemnare, atque ita quidem, ut nulla ex iis jactare possit se Apostolica sententia Nostra non comprehendi, atque hoc prætextu homines incautos et minus acutos in errorem inducat. Itaque de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, et etiam Motu proprio, et certa scientia, ac matura deliberatione Nostris Societates occultas omnes, tam quæ nunc sunt, tam quæ fortasse deinceps erumpent, et quæ ea sibi adversus Ecclesiam, et Supremas civiles potestates proponunt, quæ superius commemoravimus, quocumque tandem nomine appelantur, Nos perpetuo prohibemus sub eisdem pœnis, quæ continentur Prædecessorum Nostrorum literis in hac Nostra Constitutione jam allatis, quas expresse confirmamus.*

*Quocirca omnibus, et singulis Christifidelibus cujuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, ac præeminentiæ sive laicis, sive clericis tam sæcularibus, quam regularibus etiam specifica, et individua mentione, et expressione, dignis districte, et in virtute sanctæ obedientiae præcipimus, ne quis sub quovis prætextu, aut quæsito colore audeat, vel præsumat prædictas Societates, quocumque nomine appellentur, inire, vel propagare, confovere, ac in suis ædibus, seu domibus, vel alibi receptare, atque occultare, illis et cuicumque earumdem gradui adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem, seu commoditatem facere, ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, seu alias consilium, auxilium, vel favorem palam, aut in occulto directe, aut indirecte, per se, vel per alios quoquomodo præstare, nec non alios hortari, inducere, provocare, ac suadere, ut hujusmodi Societatibus, aut cuicumque earundem gradui adscribantur, annumerentur, aut intersint, vel ipsas quomodolibet juvent, ac foveant, sed omnino ab iisdem Societatibus, earum Cœtibus, Conventibus, Aggregationibus, seu Conventiculis prorsus abstinere se debeat sub pœna excommunicationis per omnes, ut supra, contrafacientes eo ipso absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, præterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.*

*Præcipimus præterea omnibus sub eadem excommunicationis pœna Nobis, et Romanis Pontificibus Successoribus Nostris reservata, ut teneantur denunciare Episcopis, vel ceteris, ad quos spectat, eos omnes, quos noverint his Societatibus nomen dedisse, vel aliquo ex iis criminibus, quæ modo commemorata sunt, se inquinasse.*

*Præcipue vero jusjurandum illud impium plane, ac scelestum, quo se obstringunt, qui in has sectas cooptantur, nemini patefacturos, quæ ad illas sectas pertinent, et morte mulctaturos eos omnes sodales, qui ea Superioribus sive Ecclesiasticis, sive Laicis patefaciunt, omnino damnamus, et plane irritum declaramus. Quid enim? Nonne nefas est jusjurandum, quod in* justitia *pronunciandum est, veluti vinculum habere, quo quis se ad injustam cædem obliget, et ad eorum contemnendam auctoritatem, qui cum vel Ecclesiam, vel legitimam civilem Societatem moderentur, jus habent ea cognoscendi, quibus illarum salus continetur? Nonne iniquissimum, et indignissimum est Deum ipsum veluti scelerum testem fidejussorem appellare? Rectissime Patres Concilii Lateranensis III. inquiunt can.* 3. Non enim dicenda sunt juramenta, sed potius perjuria, quæ contra utilitatem Ecclesiasticam, et San-

ctissimorum Patrum veniunt instituta. *Et intoleranda est eorum ex his hominibus impudentia, sive amentia, qui cum non modo in corde suo, sed etiam palam, et in publicis scriptis dicant* non est Deus, *audeant tamen jusjurandum exigere ab iis omnibus, quos suas in sectas deligunt.*

*Hæc a Nobis constituta sunt ad furiosas, et scelestas has omnes sectas comprimendas, et damnandas. Nunc vero vestram, Ven. Fratres Catholici Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, et Episcopi, operam non postulamus modo, sed etiam flagitamus. Attendite vobis, et Universo Gregi, in quo Vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Invadent quidem lupi rapaces in Vos, non parcentes Gregi: sed nolite metuere, nec facite animam vestram pretiosiorem, quam Vos. Illud tenete, a Vobis maxima ex parte pendere hominum Vobis commissorum in Religione, et recte factis constantiam. Quamvis enim iis vivamus diebus*, qui mali sunt, *eoque tempore, quo plures* non sustinent sanam doctrinam, *perdurat tamen permultorum Fidelium in Pastores suos observantia, quos jure suspiciunt veluti Christi ministros, et dispensatores mysteriorum ejus. Utimini igitur in Ovium vestrarum commodum hac auctoritate, quam in earum animis immortali Dei beneficio retinetis. Cognoscant per Vos Sectariorum dolos, et quanta diligentia eos, eorumque consuetudinem cavere debeant. Horreant, Vobis auctoribus, et magistris, pravam eorum doctrinam, qui sanctissima Religionis nostræ mysteria, et purissima Christi præcepta irrident, omnemque legitimam potestatem impugnant. Ac ut Vos verbis alloquamur Prædecessoris Nostri Clementis XIII. in sua Epistola encyclica ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos universos Ecclesiæ Catholicæ diei 14. Septembris anni* 1758. Repleti simus, obsecro, fortitudine Spiritus Domini, judicio, et virtute, ne tamquam canes muti non valentes latrare Greges Nostros patiamur fieri in rapinam, et Oves Nostras in devorationem omnium bestiarum agri. Neque Nos quidquam deterreat, quominus pro Dei gloria, et salute animarum ad omnes dimicationes Nosmetipsos objiciamus. Recogitemus eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem. Quod si nequissimorum timeamus audaciam, actum est de Episcopatus vigore, et de Ecclesiæ gubernandæ sublimi ac divina potestate: nec Christiani ultra aut durare, aut esse jam possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas aut insidias pertimescamus.

*Summo etiam studio vestrum flagitamus præsidium, Carissimi in Christo Filii nostri Catholici Principes, quos singulari et prorsus paterno amore diligimus. Revocamus propterea Vobis in me-*

*moriam verba, quibus Leo Magnus, eujus in Dignitate Successores, et nominis licet indigni Hæredes sumus, ad Leonem Imperatorem scribens usus est:* Debes incunctanter advertere, Regiam potestatem Tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, quæ sunt bona statuta defendas, et veram pacem his, quæ sunt turbata, restituas. *Quamquam in eo discrimine res hoc tempore versetur, ut non modo ad Catholicam Religionem defendendam, sed ad tuendam etiam vestram, et populorum vestro Imperio subjectorum incolumitatem, sectæ illæ a Vobis coercendæ sint. Religionis enim causa hoc præsertim tempore cum Societatis salute ita conjuncta est, ut nullo quidem modo altera ab altera dividi possit. Nam, qui sectas illas sequuntur, non minus Religionis, quam vestræ potestatis sunt hostes. Utramque aggrediuntur, utramque penitus labefactare moliuntur. Neque certe paterentur, si possent, aut Religionem, aut Regiam ullam potestatem superesse.*

*Ac tanta est hominum callidissimorum astutia, ut cum maxime videntur vestræ potestatis amplificationi studere, tum ejus eversionem præcipue spectent. Docent illi quidem permulta, ut suadeant Nostram, et Episcoporum potestatem ab iis, qui rerum potiuntur, imminuendam et debilitandam esse, et ad eos plura transferenda jura, tum ex iis, quæ propria sunt Apostolicæ hujus Cathedræ,* et Ecclesiæ principalis, *tum ex iis, quæ ad Episcopos pertinent, qui in Nostræ sollicitudinis partem sunt vocati. Verum hæc illi non modo ex teterrimo, quo inflammantur in Religionem odio, sed eo etiam consilio docent, quod sperent fore ut gentes quæ Vestro Imperio subjiciuntur, si forte perspiciant everti terminos, quos de rebus sacris Christus, et Ecclesia ab eo instituta constituerunt, facile hoc exemplo adducantur ad politici etiam Regiminis formam immutandam, et destruendam.*

*Vos etiam omnes, o Dilecti Filii, qui Catholicam Religionem profitemini, peculiari oratione et hortationibus Nostris respicimus. Homines, qui ponunt lucem tenebras, et tenebras lucem, omnino evitate. Quæ enim veri nominis utilitas exoriri Vobis poterit ex conjunctione cum hominibus, qui nullam Dei, nullam sublimiorum quarumque potestatum rationem habendam putant, qui per insidias et clancularios Conventus bellum illis afferre conantur, quique etsi in foro, et ubique clament se publici Ecclesiæ, et Societatis boni amantissimos esse, tamen universis suis gestis jam declararunt omnia perturbare, omnia evertere velle? Sunt ii quidem iis hominibus similes, quibus nec hospitium dandum, nec dicendum Ave jubet Joannes in secunda sua Epistola*

Ver. 10., *et quos primogenitos Diaboli appellare Majores nostri non dubitarunt. Cavete igitur ab eorum blanditiis, et mellitis sermonibus, quibus Vobis suadebunt, ut nomen illis sectis detis, quibus ipsi adscripti sunt. Pro certo habete neminem earum participem sectarum esse posse, quin gravissimi flagitii reus sit, eorumque verba ab auribus vestris repellite, qui, ut vestræ in gradus suarum sectarum inferiores cooptationi assentiamini, vehementer affirmant, nihil in gradibus illis admitti, quod rationi, nihil quod Religioni adversetur, imo nihil vel prædicari, vel perfici, quod non sanctum, quod non incontaminatum sit. Etenim jusjurandum illud nefarium, quod jam memoratum est, quodque in illa etiam inferiori cooptatione jurari debet, satis per se est, ut intelligatis nefas etiam esse levioribus illis gradibus adscribi, atque in iis versari. Deinde quamvis quæ graviora, et scelestiora sunt, iis mandari non soleant, qui superiores gradus assequuti non sunt, perspicue tamen patet perniciosissimarum harum Societatum vim, et audaciam ex omnium, qui iis nomen dederunt, consensione et multitudine coalescere. Itaque ii etiam, qui inferiores illos gradus non sunt prætergressi, scelerum illorum participes haberi debent. Et in eos cadit illud Apostoli ad Rom. C. I.* qui talia agunt, digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

*Postremo, eos, qui cum jam essent illuminati, et gustavissent donum cœleste, et participes facti essent Spiritus Sancti, deinde tamen miserrime prolapsi sunt, et sectas illas sequuntur, sive in inferioribus, sive in superioribus earum gradibus versentur, peramanter ad Nos vocamus. Ejus enim vice fungentes, qui professus est, non venisse se vocare justos, sed peccatores, et se Pastori æquiparavit qui relicto reliquo grege, sollicite ovem quærit, quam perdidit, eos hortamur et obsecramus, ut ad Christum revertantur. Quamvis enim maximo se polluerint crimine, non debent tamen de Dei, et Jesu Christi filii ejus misericordia, et clementia desperare. Resipiant igitur sese tandem aliquando, et iterum ad Jesum Christum pro iis etiam passum confugiant, qui eorum resipiscentiam non modo non despiciet, sed imo ad instar amantissimi Patris, qui Filios prodigos jamdudum expectat, libentisime accipiet. Nos vero ut quantum in Nobis est eos excitemur, et faciliorem iis sternamus viam ad pænitentiam, suspendimus ad integrum anni spatium post publicatas Nostras has Apostolicas Litteras in Regione, in qua morantur, tum obligationem denunciandi suos in sectis illis socios, tum etiam reservationem censurarum, in quas sectis illis nomen dantes inciderunt, eosque, etiam non denunciatis complicibus, absolvi ab*

10

*iis censuris posse declaramus a quocumque Confessario, modo sit ex eorum numero, qui a locorum, in quibus degunt, Ordinariis approbati sunt. Quam etiam facilitatem in eos, qui forte in Urbe morentur, adhibendam constituimus. Quod si quispiam ex iis, quos nunc alloquimur, ita pertinax sit, (quod Deus Misericordiarum Pater avertat) ut committat, illud temporis spatium quod designavimus, labi, quin sectas illas deserat, et vere resipiscat, eo elapso continuo et obligatio denunciandi complices, et censurarum reservatio in eum reviviscet, nec absolutionem deinceps impetrare poterit, nisi denunciatis antea complicibus, vel saltem juramento emisso de iis quamprimum denunciandis, nec ab alio poterit iis censuris solvi, quam a Nobis, vel a Nostris Successoribus, aut ab iis, qui a Sede Apostolica ab iisdem absolvendi impetraverint facultatem.*

*Volumus autem, quod præsentium Nostrarum literarum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.*

*Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ declarationis, damnationis, confirmationis, innovationis, mandati, prohibitionis, invocationis, requisitionis, decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.*

*Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Octingentesimo Vigesimo quinto Tertio Idus Martii Pontificatus Nostri Anno Tertio.*

B. CARD. PRO-DATARIUS

Pro domino Card. Albani. *F. Capaccini Substitutus*
*F. Lavizzarius*

VISA
De Curia. D. TESTA
Loco † Plumbi

*Registrata in Secretaria Brevium*

*Supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, et publicatæ fuerunt ad Valvas Basilicarum Urbis, Cancellariæ Apostolicæ, ac Magnæ Curiæ Innocentianæ, atque in Acie Campi Floræ, et in aliis locis solitis et consuetis per me Aloysium Pitorri Apostolicum Cursorem.*

Josephus Cherubini Magister Cursorum

Il Consultore Delegato per l'impartizione de' Regj exequatur de' Reali Dominj di qua dal Faro — Veduto l' esemplare di lettere Apostoliche spedite in Roma il dì 13 Marzo corrente anno, colle quali l' odierno Sommo Pontefice col Consiglio de' Cardinali di S. Chiesa *motu proprio*, e con matura deliberazione, dopo di avere rapportate le Bolle nel proposito emanate da i Pontefici Clemente XII: nell' anno 1738., Benedetto XIV: nell'anno 1751., e Pio VII: nell' anno 1821, che espressamente conferma, viene a proibire tutte le società occulte, tanto quelle ora esistenti, quanto quelle, che in avvenire forse scoppiassero, sotto qualunque denominazione esse fossero, comminando la pena della scomunica contro de' settarj, loro complici e fautori da incorrersi *eo ipso* senz' altra dichiarazione riserbata alla S. Sede. — Veduta altresì la Ministeriale del dì 18 dell' andante rimessa dalla Real Segreteria di Stato degli Affari Ecclesiastici per la impartizione del Regio Exequatur sull' enunciata Carta Pontificia.

Si eseguano le indicate Lettere Apostoliche — Napoli 18 Aprile 1826. — *Il Consultore Delegato* — Domenico Criteni. — *Lo Spedizioniere* — Pietro Frenna.

Con Sovrana risoluzione presa nel Consiglio ordinario di Stato del dì 18 Aprile 1826 S. M. ha ordinato, che le sopradescritte Lettere Apostoliche si pubblichino, ed eseguano dagli Arcivescovi, Vescovi, ed altri Ordinarj de' suoi Reali Dominj, e che si tengano affisse in tutte le Parrocchie, ed altre Chiese più frequentate dal popolo.

# TABELLA DE' CASI

## L'ASSOLUZIONE DE' QUALI RISERBA A SE

L' ILLUSTRISSIMO E REVERENDISSIMO

## ABATE GENERALE DE' VERGINIANI

ED ORDINARIO DELLA DIOCESI DI MONTEVERGINE NULLIUS.

( Pertinet ad caput VIII de Poenitentiae Sacramento num. XXXI )

## CASI

*Ai quali non è annessa la scomunica*

1. La bestemmia contro Dio, e la Beatissima Vergine per ogni volta, e per quattro volte contro agli altri Santi.

2. Il volontario omicidio così con ferro, come con fuoco, veleno, o altro mezzo; e tanto rispetto agli esecutori, quanto a coloro, che commettono, o mandano, e consigliano: e nel veleno s' intenda, anche non seguito l' effetto.

3. La colpabile inosservanza de' giorni Festivi per quattro volte.

4. La copula perfetta incestuosa nel primo, e secondo grado, sia di consanguinità, sia di affinità legitima: ed il commercio carnale fra quelle persone, che hanno tra di loro contratto parentela spirituale, come tra Compadri, e Commadri, e tra Parochi, o Confessori, e loro Parrocchiani, e Penitenti.

5. La sodomia perfetta per l' uno, e l' altro sesso, oltre le tre volte.

6. Il peccato di bestialità per ogni volta: s'intenda però la riserba così di questo, come degli altri due immediate precedenti Casi solo per gli Uomini adulti, non già per li Fanciulli sino all' età di quattordici anni compiti, e generalmente se n'escludono le Donne in ogni età.

7. Per li Medici, che visitano per la terza volta gli ammalati di febre essenziale continua, quando questi non siano sagramentalmente confessati.

8. La frode, o impedimento colpevole intorno alla soddisfazione delle Decime.

9. Il non deponere in Giudizio la verità, o pure deponere il falso, anche senza pregiudizio del terzo con giuramento.

10. A' Padri, e Madri l'ammettere nelli loro letti i loro Bambini sino all' età di un anno a dormire con essi loro, ed ancora li di loro figli di anni dodici, o facendo dormire in un medesimo letto gl' istessi loro figli maschi, e femine della medesima età.

11. Per gli Sposi *de futuro*, che coabiteranno, praticheranno, o avranno commercio carnale con le loro spose, dopo che avranno celebrati i Capitoli Matrimoniali.

12. I maltrattamenti reali, o gravi ingiurie contro de' genitori alla presenza di più persone.

13. Non saranno assoluti i concubinarj, ancorchè non scomunicati, se non dietro la reale separazione almeno per due mesi.

14. Coloro che non adempiano al precetto pasquale incorrono nella pena dell' interdetto *ex. cap. Omnis utriusque sexus de Pænit. et remiss.*

15. Gli incendiarj di campi, messe ricolte, frutti, e tugurj in campagna, nonchè di case anche nell' abitato. E gl' incisori di alberi fruttiferi, viti, canneti, e siepi.

16. Tutti quelli, che fanno lettere cieche infamanti, e quelli che cacciano fuori libelli famosi calunnianti la stima di persone oneste.

## CASI

*A' quali è annessa la Scomunica.*

1. L' abuso de' Sacramenti, e delle cose sacramentali.

2. I maleficj, fascinazioni, ed altri impedimenti intorno l'uso del Santo Matrimonio, così nel ligare, come nello sciogliere, ed il non denunziarsi i maleficj da coloro, che ne hanno notizia.

3. Il dare consiglio, o ajuto, e comodità per la pratica, e copula carnale a Giovani, e Sposi *de futuro* sotto pretesto di matrimonio.

4. L' occultare legati fatti *ad pias causas* fra due mesi.

5. L'aborto del feto animato, o inanimato, o sia, o non sia seguito l'effetto, ne' termini però, ed a tenore della Costituzione moderatoria di Gregorio Papa XIV. ( *Sedes Apostolica* ).

6. Tutti quelli dell' uno e l' altro sesso, e di ogni condizione che vanno ed intervengono in quelle unioni, dove si parla, e si discute, o contro la religione, o contro l' attuale Stato o Governo. Inoltre i cospiratori che o seguono, o meditano, o disseminano e promulgano opinioni sediziose.

7. Chi abbia percosso lievemente un Chierico, anche in pubblico, e gravemente, se il percussore sia tralle persone privilegiate

*in jure* come i minori, le donne, gl' impediti a presentarsi al Sommo Pontefice.

8. Coloro che abbiano commesso furti di valore nelle Chiese, o che abbiano messo fuoco alle medesime, tanto se sia over nò l' incendio seguito.

9. Confessarii in Sacramentali Confessione sollicitantes, juxta Bullas Gregorii XV. et Benedicti XIV.

10. Confessarii absolventes complices in peccato turpi.

11. Accusantes innocentes Confessarios sacrilegæ sollicitationis, non posse absolvi, nisi a Summo Pontifice.

SI RICORDA AI CONFESSORI

I.° *I Casi tra gli altri riservati al Sommo Pontefice fuori Roma, ma tra l' Italia.*

1. Le percosse enormi, o gravi nelle persone de' Chierici, o Monaci.

2. La provocazione, o la pugna in duello.

3. La violazione della Clausura *ad malum finem*.

4. La violazione della immunità ecclesiastica.

5. La simonia legale scientemente contratta.

6. La simonia confidenziale.

II.° *I Casi papali ai quali non è annessa la scomunica*

1. Coloro che ricevono dai Regolari dell' uno, e dell' altro sesso donativi al di là di dieci scudi ( *Duc.* 12:50 ) giusta le costituzioni di Clemente VII *Religiosæ Congregationes*, di Urbano VIII. *Nuper a Congregatione*, e di Benedetto XIV. *Pastor Bonus*.

2. I falsi accusatori di sollecitazione *ad turpia* a norma della Constituzione di Ben. XIV. *Sacram. Pœn.*

# ISTRUZIONI

DISPOSTE DALLA COMMISSIONE DE' VESCOVI COLL' INTERVENTO DEL NUNZIO APOSTOLICO, ED APPROVATE DA S. M., PER LA FORMAZIONE DEI TITOLI DELLE SAGRE ORDINAZIONI NELLE CHIESE RICETTIZIE, SUFFICIENTEMENTE DOTATE.

( Pertinent ad caput XX de Ecclesiis receptitiis )

Art. 1. Tutte le Chiese ricettizie di qualunque natura esse sieno per la loro fondazione, ancorchè annesse a Cattedrali, o Collegiate, avranno un Clero numerato incardinato alle medesime, ed abitualmente inserviente alla cura.

Art. 2. I Vescovi, nelle cui Diocesi esistono tali Ricettizie, formeranno i loro piani per ciascuna di esse, fissando il numero dei Preti, che crederanno potervi incardinare, avendo riguardo al numero delle anime, alle circostanze locali, ed alla massa delle rendite divisibile fra gl' incardinati, a norma di ciò che si dirà in appresso, e si rimetteranno alle Autorità superiori.

Art. 3. Le porzioni di rendita certa, che saranno assegnate a ciascun Partecipante, potranno servire di titolo canonico per li promovendi ai sagri ordini, quando siano ( come debbono tutte essere ) conferite dal Vescovo, previo l' esame, a norma del Breve del Sommo Pontefice *Impensa*. Questa disposizione non impedisce, che le partecipazioni suddette possano conferirsi a dei Sacerdoti ordinati, o da ordinarsi a titolo di sagro patrimonio.

Art. 4. Nel fissare la rendita della massa comune, per poterla in seguito ripartire in porzioni, si dedurranno i soli pesi intrinseci alla medesima, come fondiaria, censi, annualità passive, e manutenzione di stabili, e di Chiesa, quando la Chiesa non abbia una rendita, ma sia a carico della stessa massa.

Art. 5. Non debbono computarsi fra i pesi della massa gli onorarj soliti a darsi ai Sagristani, ai Procuratori, agli Esattori, ed ogni altro peso, che sia solito ad affidarsi a persona Ecclesiastica, e del corpo: dovendo questi pesi portarsi per turno dagl' Individui stessi Partecipanti, come già attualmente si pratica nella maggior parte di dette Chiese.

Art. 6. Per tal oggetto formeranno i Vescovi dei Regolamenti, sentiti i Cleri medesimi, affinchè tal' impieghi siano disimpegnati gradatamente, o a vicenda, cominciando sempre da' più giovani.

Art. 7. Non dovranno computarsi tra i pesi della massa da detrarsi, le funzioni sacre di qualunque natura, come ufficiatura,

messe cantate, e messe piane. La celebrazione di queste messe piane sarà ripartita con giusta proporzione sulle diverse porzioni, che si formeranno.

Art. 8. Nel caso, che il numero delle messe piane gravanti la massa comune fosse esorbitante, s' implorerà dalla S. Sede la facoltà, perchè possano i Vescovi farne una competente riduzione, secondo le regole, che la medesima suol prescrivere.

Art. 9. Il Partecipante, che mancherà alle funzioni, a cui sia obbligato d' intervenire, e di prender parte, sarà soggetto alla puntatura, che si fisserà stabilmente dai Vescovi.

Art. 10. Fissata che sia la vera rendita netta della massa comune colle regole di sopra accennate, si preleverà dalla medesima la congrua per il Parroco ( quando non l' abbia d' altronde ) con quel medesimo tenore, e con quelle medesime proporzioni, che son fissate all' articolo VII del Concordato : la qual congrua dovrà esser sempre maggiore di un terzo delle altre partecipazioni, salve le consuetudini antiche delle Chiese, più favorevoli al Parroco.

Art. 11. Prelevata la congrua del Parroco si formeranno del rimanente della massa comune tante porzioni, quanti sono i Ministri, che i Vescovi stimano necessarj a coadjuvare il Parroco nella cura, e nel servizio del culto.

Art. 12. Ove le rendite sieno sufficienti, sarà bene, che tali porzioni sieno distinte in maggiori, e minori. Si daranno le minori a quelli, che sono posteriori nell' ingresso, e le maggiori, a giudizio del Vescovo, a coloro, che avranno il merito di un più lungo, e diligente servizio, e specialmente ai Confessori, ed a quelli che suppliranno immediatamente le veci del Parroco, e la porzione maggiore diverrà il suo titolo.

Art. 13. Una tal divisione di porzioni in maggiori, e minori, non sarà necessaria, ove i Cleri Ricettizj sieno annessi alle Chiese Cattedrali, e Collegiate; perchè potranno in questi casi i meritevoli esser considerati nella collazione dei Mansionariati, e Canonicati, ai quali saranno conservate le rendite, di cui ora godono, ed accresciute a tenore dell' articolo V del Concordato.

Art. 14. Dovranno sempre le partecipazioni considerarsi come importanti l' obbligo di residenza, che richiede l' attuale servizio, e però ottenendosi dal Partecipante un qualche Beneficio incompatibile o nella stessa Chiesa, o altrove, vacherà *ipso jure* la partecipazione.

Art. 15. Il Partecipante, che si allontanerà senza giusta causa, e senza permesso del Vescovo, dalla sua Chiesa per lo spazio di oltre tre mesi, sarà punito in una maniera conforme alle disposizioni del Concilio di Trento.

Art. 16. Il prodotto delle puntature, di cui si è parlato nel-

l'Art. X., e che potranno risultare dalla colpevole assenza di alcuno, si dividerà in fine dell' anno fra tutt' i Partecipanti, incluso il Parroco.

Art. 17. Se vi saranno avanzi nella fine dell' anno, o per aumento di rendita, o per vacanza di qualche partecipazione, si divideranno similmente fra tutt' i Partecipanti, escluso il Parroco, il quale giusta l' Art. X. deve nella sua congrua avere una porzione notabilmente maggiore delle altre partecipazioni.

Art. 18. I dritti parrocchiali minori, detti anche di stola bianca, e nera, si divideranno in due parti eguali, delle quali una ne prenderà il Parroco, ed un' altra si dividerà fra tutt' i Partecipanti.

Art. 19. Nelle associazioni dei cadaveri il Parroco, quando intervenga o per se stesso, o per mezzo di altri, che faccia le di lui veci, prenderà sempre una porzione doppia.

Art. 20. Nelle Chiese, ove vi è l' obbligazione, o il lodevole costume dell' ufficiatura corale, faranno i Vescovi che sia conservato, e procureranno anzi che sia generalizzato.

Approvato: Verona 18 Novembre 1822.

Firmato — FERDINANDO.

*Il Consigliere Ministro di Stato*

*Ministro Segretario di Stato degli affari ecclesiastici*

Firmato Marchese Tommasi.

# APOSTOLICA CONSTITUTIO

*PII PP. VII*

DE PROVISIONE PORTIONUM, SIVE PARTECIPATIONUM ECCLESIARUM RECEPTITIARUM

( Pertinet ad Caput XX de Ecclesiis receptitiis )

## FERDINANDO I.

PER LA GRAZIA DI DIO RE DEL REGNO DELLE DUE SICILIE, EC. EC.

Per togliersi qualsivoglia dubbio sul metodo delle proviste delle partecipazioni stabilite nelle così dette Chiese Ricettizie, numerate, ed innumerate, de' nostri reali Dominj al di quà del Faro; ha il S. Padre, di concerto con Esso noi, emanato un Breve apostolico, il tenore del quale è il seguente.

PIUS PAPA VII. Ad perpetuam rei memoriam. Impensa, qua premimur sollicitudo de Dominici Gregis nobis concrediti salute, ad ea procuranda nos impellit, quæ in minorum etiam Ecclesiarum utilitatem, feliciusque regimen noverimus redundare. Lubenti proinde animo preces excepimus, quas Carissimus in Cristo Filius noster Ferdinandus Primus Regni utriusque Siciliæ Rex perferendas ad Nos curavit, ut pro utiliori Ecclesiarum, quas dicunt *Receptitias*, sua in Ditione citra Pharum extantium, procuratione opportune consuleremus. Exponi siquidem nobis fecit, eas Receptitias Ecclesias quarum aliæ *numeratæ* nuncupantur, aliæ *innumeratæ*, prout nimirum vel designatus Ministrorum numerus, vel universi generatim locorum Presbyteri ad sacra peragenda ibidem recipiantur, a pietate fidelium congruis redditibus esse auctas, qui pro rata portione viritim inter eos distribuuntur, qui ad illarum servitium, ac præsertim ad curam animarum, iisdem ut plurimum adnexam, addicuntur: normam tamen aliquam necessario praescribendam esse, qua omni personarum acceptione sublata, receptitiis id genus Ecclesiis tales Presbyteri aggregentur; præfinitas portiones, sive mensuras sive annales recepturi, qui pietate, doctrina, ac prudentia commendati, delatis muneribus in fidelium utilitatem præclare perfungantur: nostram idcirco apostolicam auctoritatem deposci, ut ejusmodi normam præfiniremus, eamque Ordinariis locorum accurate servandam committeremus. Cum itaque hoc pientissimi Regis desiderium in summam

animarum utilitatem, et in sanctiorem earumdem Ecclesiarum cultum cessurum esse dignoverimus, annuendum eidem sine hexitatione censuimus, quumque nulla de receptitiis Ecclesiis peculiaris dispositio fuerit constituta in conventione superiori anno cum Majestate sua inita, Apostolica auctoritate prædictarum Ecclesiarum utiliori procurationi providere duximus eo modo quo magis in Domino conspeximus expedire. Quare ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore presentium decernimus, et mandamus, ut in posterum ad portiones suscipiendas in Ecclesiis *receptitiis* illi tantum admittantur Sacerdotes, et Clerici, qui a venerabilibus fratribus Archiepiscopis, et Episcopis, aut Ordinariis locorum, pietate, ac doctrina commendatiores fuerint inventi. Jubemus proinde, ut quoties aliquis in possessionem juris præstitutæ portionis assequendæ in *receptitiis* Ecclesiis fuerit immittendus, specimen antea ingenii, ac morum de iis habeatur, qui in illam admitti desiderant, et examen de ipsis instituatur coram Ordinariis ipsis, vel eorum Vicariis Generalibus, et tribus saltem ex Synodalibus examinatoribus, eoque rite peracto Ordinarius pro sua fide, et integritate, quos digniores judicaverit, eos eligat, atque in possessionem immittat juris præstitutæ portionis assequendæ. Eos vero sic electos, literisque Ordinariorum commendatos, veluti certæ cuidam Ecclesiæ Receptitiæ aggregatos, et adscriptos, ac in possessionem juris præstitutæ portionis assequendæ immissos agnosci volumus, adempta cuilibet, ac præsertim competitoribus non electis, facultate interponendi appellationem ad Metropolitanum, seu ad Episcopum Provinciæ antiquiorem, pro quibus dumtaxat causis usum appellationum hujusmodi interdictum declaramus. Confidimus vero summopere, venerabiles Fratres Archiepiscopos, et Episcopos, ac Ordinarios locorum nedum nostris hisce præceptis, quæ pro meliori Ecclesiarum hujusmodi ministerio protulimus, magna semper voluntate, studioseque obsequuturos, imo vero pro rei gravitate studium omne adhibituros, ut ministri cujusque Ecclesiæ rationibus accommodati adsciscantur, qui et sui muneris partes diligenter gerant, et instituendis populis, iisque in Cæli semita dirigendis, opera, consilio, sollicitudine, presto sint.

Decernentes has præsentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Apostolici auditores, sedis Apostolicæ, nuntios, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpetrandi

facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit fel. rec. Benedicti Papæ XIV. Prædecessoris nostri super divisione materiarum, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et Ordinationibus, nec non dictarum Ecclesiarum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et de verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus.

Volumus tandem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XIII augusti MDCCCXIX. Pontificatus nostri anno XX.

Firmato — H. Card. Consalvus.

Ed essendo nostra Sovrana volontà, che il soprascritto Breve abbia il suo pieno effetto; sulla proposizione del nostro Consigliere e Segretario di Stato, Ministro degli affari Ecclesiastici.

Abbiamo risoluto di decretare, e decretiamo quanto siegue.

Art. I. Le disposizioni contenute nel Breve sopra inserto saranno puntualmente, e religiosamente osservate.

Art. II. Le anzidette disposizioni rimarranno surrogate a quelle contenute nella nostra circolare del dì 26 agosto 1797 riguardanti lo stesso oggetto.

Art. III. Il nostro Consigliere, e Segretario di Stato Ministro degli affari Ecclesiastici è incaricato dell' esecuzione del presente decreto

Napoli 7 settembre 1819.

*Firmato* — Ferdinando I. Il segretario di Stato Ministro Cancelliere *Firmato:* Marchese Tommasi — Il segretario di Stato — Ministro degli affari Ecclesiastici — *Firmato* — Marchese Tommasi — Per copia conforme — Il Segretario di Stato Ministro degli affari Ecclesiastici — Marchese Tommasi.

# APPENDIX II.

## SERIES ABBATUM GENERALIUM

QUI AB INSTITUTIONE VIRGINIANAE CONGREGATIONIS USQUE AD PRAESENS TEMPUS EIDEM CONGREGATIONI ET DIOECESI MONTIS VIRGINIS (NULLIUS) PRAEFUERUNT.

I. S. Gulielmus Congregationis Institutor usque ad annum 1142.
II. B. Albertus S. Gulielmi discipulus usque ad annum 1149.
III. Dominus Robertus I. usque ad annum 1170.
IV. B. Ioannes I usque ad annum 1189.
V. Dominus Daniel de Cesa usque ad annum 1196.
VI. Dominus Eustasius usque ad annum 1197.
VII. Dominus Gabriel usque ad annum 1200.
VIII. Dominus Gulielmus II usque ad annum 1202.
IX. Dominus Robertus II usque ad annum 1208.
X. Dominus Donatus ab Acerno usque ad annum 1219.
XI. Dominus Ioannes II usque ad annum 1244.
XII. Dominus Gulielmus III usque ad annum 1247.
XIII. Dominus Gabriel II usque ad annum 1249.
XIV. Dominus Ioannes III Fellecchia usque ad annum 1254.
XV. Dominus Leo I usque ad annum 1255.
XVI. Dominus Marinus usque ad annum 1266.
XVII. Dominus Bartholomaeus I. usque ad annum 1270.
XVIII. Dominus Ioannes IV a Taurasio usque ad annum 1278.
XIX. Dominus Berardus usque ad annum 1280.
XX. Dominus Gulielmus IV usque ad annum 1313.
XXI. Dominus Romanus usque ad annum 1331.
XXII. Dominus Petrus I usque ad annum 1332.
XXIII. Dominus Philippus I usque ad annum 1349.
XXIV. Dominus Petrus II Ansalone usque ad annum 1382.
XXV. Dominus Bartholomaeus II usque ad annum 1389.
XXVI. Dominus Pandullius Tocco a Capua usque ad annum 1412.
XXVII. Dominus Palamides de Anno usque ad annum 1430.
Ex hoc anno 1431 usque ad annum 1588. Virginiana Congregatio in commendam translata fuit, et a commendatariis Abatibus Vicarii dumtaxat Generales ad tempus instituebantur.
XXVIII. Dominus Ioannes-Baptista Cassarius usque ad annum 1590.

XXIX. Dominus Decius de Rogerio usque ad annum 1593.
XXX. Dominus Hieronymus Perugini usque ad annum 1600.
XXXI. Dominus Severus Giliberti usque ad annum 1607.
XXXII. Dominus Amatus Porro usque ad annum 1611.
XXXIII. Dominus Urbanus de Rubeis usque ad annum 1618.
XXXIV. Dominus Amatus Porro, secunda vice, qui vixit quadraginta dies.
XXXV. Dominus Paulinus Barberius usque ad annum 1621.
XXXVI. Dominus Clemens Negri usque ad annum 1624.
XXXVII. Dominus Pius Milone usque ad annum 1627.
XXXVIII. Dominus Petrus Danuscius usque ad annum 1630.
XXXIX. Dominus Paulus Rubeus Longus usque ad annum 1633.
XL. Dominus Ioannes Jacobus Iordanus usque ad annum 1633.
XLI. Dominus Urbanus de Martino usque ad annum 1648.
XLII. Dominus Mattheus Tocco usque ad annum 1651.
XLIII. Dominus Egidius Laudati usque ad annum 1653.
XLIV. Dominus Hieronymus Felicella usque ad annum 1656.
XLV. Dominus Sebastianus Brosca usque ad annum 1659.
XLVI. Dominus Benedictus Petrilli usque ad annum 1662.
XLVII. Dominus Ioannes Iacobus Berardi usque ad annum 1668.
XLVIII. Dominus Aloysius Ricciardi usque ad annum 1671.
XLIX. Dominus Angelus Brancia usque ad annum 1674.
L. Dominus Nicandrus Ferrara usque ad annnm 1677.
LI. Dominus Bartholomeus Giannattasio usque ad annum 1680.
LII. Dominus Paulus Fajella usque ad annum 1683.
LIII. Dominus Carolus Cutilli usque ad annum 1692.
LIV. Dominus Tiberius Majorini usque ad annum 1695.
LV. Dominus Matthaeus Galdieri usque ad annum 1698.
LVI. Dominos Vitus-Antonius Pastorale usque ad annum 1701.
LVII. Dominus Albentius Curtonus usque ad annum 1704.
LVIII. Dominus Honorius de Porcariis usque ad annum 1707.
LIX. Dominus Cherubinus Salerno usque ad annum 1710.
LX. Dominus Vitus-Antonius Pastorale secunda vice, usque ad annum 1713.
LXI. Dominus Ioannes-Baptista Brancia nsque ad annum 1716.
LXII. Dominus Gallus Gallucci usque ad annum 1719.
LXIII. Dominus Ramirus Girardi usque ad annum 1722.
LXIV. Dominus Severinus Pironti usque ad annum 1732.
LXV. Dominus Isidorus de Angelis usque ad annum 1735
LXVI. Dominus Gallus Gallucci secunda vice usque ad annum 1737.
LXVII. Dominus Ramirus Girardi secunda vice usque ad annum 1740.

LXVIII. Dominus Angelus Federici usque annum 1743.

LXIX. Domiuus Michael del Re usque ad annum 1746.

LXX. Dominus Angelus Mancini Apostolicus Visitator, usque ad annum 1748.

LXXI. Dominus Nicolaus Letitia usque ad annum 1751.

LXXII. Dominus Michael del Re secunda vice usque ad annum 1754.

LXXIII. Dominus Fulgentius Stinca usqne ad annum 1757.

LXXIV. Dominus Venantius Pironti usque ad annum 1760.

LXXV. Dominus Nicolaus Latitia secunda vice usque ad annum 1763.

LXXVI. Dominus Matthaeus Iacutius usque ad annum 1766.

LXXVII. Dominus Albericus Mellusius usque ad annum 1769.

LXXVIII. Dominus Venantius Pironti secunda vice usque ad annum 1772.

LXXIX Dominus Nicolaus Letitia tertia vice usque ad annum 1775.

LXXX. Dominus Matthaeus Iacutius secunda vice usque ad annum 1778.

LXXXI. Dominus Anselmus Toppi usque ad annum 1781.

LXXXII. Dominus Vitus-Antonius Santamamaria usque ad annum 1784.

LXXXIII. Dominus Nicolaus Verdutius usque ad annum 1786.

LXXXIV. Dominus Isidorus Bevere usque ad annum 1789.

LXXXV. Dominus Raphael Aurisicchio usque ad annum 1793.

LXXXVI. Dominus Ferdinandus Pastena usque ad annum 1796.

LXXXVII. Dominus Urbanus de Martinis usque ad annum 1797.

LXXXVIII. Dominus Thomas Fiorilli usque ad annum 1800.

LXXXIX. Dominus Eugenius Mauri usque ad annum 1803.

XC. Dominus Raphael Aurisicchio secunda vice, usque ad annum 1806.

XCI. Dominus Raymundus Morales præsens Abbas Generalis.

# INDEX CAPITUM

### QUAE IN HAC SYNODO CONTINENTUR.

*APPENDIX I.*



*APPENDIX II.*